DE LATISSIMO AVARITIAE DOMINATV

LIBRI IIII.

In quorum tertio cambiorum (vt vocant) negocium illud, quod nunc vt plurimum in vsu habetur, in culpa esse, atq; in animæ perniciem exerceri fortiter, & copiosè demonstratur.

HILARIONE GENVENSI MONACHO CASIN. AVCTORE.

Cui accessit doctissimi NICOLAI CENAREGAE *patricij Genuensis Iur. V. Doct. de eorundem iniquitate firmissimis rationibus fulta sententia.*



APVD DAMIANVM TVRLINVM
MDLXVII.

DE

LATISSIMO AVARITIAE DOMINATU

LIBRI IIII.

In quorum tertio cambiorum (ut vocant) negocium illud quod nunc ut plurimum in usu habetur, in culpa esse, atque in animae perniciem exerceri fortiter, & copiose demonstratur.

HILARIONE GENUENSI MONACHO CASIN. AUCTORE.

Cui accessit doctissimi NICOLAI CENAREGAE patritij Genuensis Iur. V. Doct. de eorundem iniquitate firmissimis rationibus fulta sententia.



APUD DAMIANUM TURLINUM

MDLXVII.

IOANNI BAPTISTAE GRIMALDO

viro Patricio clarissimo.

HILARION MONACHVS CASINENSIS S. D.

DVo potissimum esse, Ioannes Baptista, *à vera, summaque nostra philosophia edocemur, in quæ christianam religionem, atq; fidem profitentes incumbere studiosè oporteat. alterum, vt animi, corporisq; viribus vniuersis* Deum Opt. Max. *sine errore agnoscant; agnitum syncerè venerentur; & amore erga illum integerrimè affecti imperio, atq; voluntati pareant semper ipsius. alterum, vt proximum quemq; ex animo diligentes, dum res postulat, continuo pro sua virili eundem beneficentia complectantur. Ita verò inter se ambo hæc affici statuendum; vt non secus à priore posterius pendeat, mutuoq; alteri alterum coniungatur: quàm præstans effectus in nobilissima causa natura inhærere, idemq; ab ipsa proficisci intelligitur. Sic verò se se veluti orbe quodam circumplecti, vt nunquam is* Deum *ritè colere posse videatur; qui fratrem suum germana dilectione prosequi, & in eum egentem conferre beneficium, dum valet, volens detrectet: vicissim nemo officio vllo ergà alium pro christiano merito satisfaciat, qui sciens, ac prudens sponte impius esse pergat in* Deum. *Ad hæc duo, igitur ita connexa cum omne christiani hominis studium; atq; adeò ipsius actiones vniuersæ sint dirigendæ; ne quando hic ipse pro mea parte deessem, quantum quidem cum diuina gratia possem, & si re certè non ita; studio, atq; cupiditate tamen subinde contendi. Itaq; superioribus annis cum in peliensis pagi cœnobiolo degerem; quod ad ecclesiam loci eius parecialem (vt vocant) et* Diuo Martino *sacram; frater* Aui tui Ansaldus *patricius præstantissimus benignitate sua, ac sumptibus (qui*

illius amor erga Boschetanum cœnobium nostrum, & monachos erat incredibilis) ædificatum uoluit; cuius etiam opera paulò antè ecclesia ipsa pleno iure eidem Boschetano monasterio intercessione pontificiæ voluntatis (vt solenne est) vnita fuerat; inter aliqua, quæ illic mihi per non nullum ocium literarium licuit conscribere, de auaritiæ dominatu commentatus sum. Et si enim tùm pro natura ductu, tùm pro animi constitutione mei, tùm pro monastices instituto, quod sanctè professus sum; secularium negociorum, atq; cōgressuum vsum, cognitionemq; studio penè semper refugi; quia tamen ita semotus inde esse nequibam, quin multa perciperem; præter cætera indigna sanè, atq; molesta, execrandā auaritiæ luem in nostros ciues fortiter debacchari, præsertim per cambiorū (quæ vocant) exercitium in primores intelligebam. Qua re commotus de eo nocentissimo morbo quatuor libellis (quò etiam quid de cambijs ipse sentirem, speciatim exponerem) quantum per id temporis opportunum visum fuit, pro mea mediocritate disserui. Ac nō eo animo tùm quidem, vt quicquid illud esset, foras prodiret; sed vt penès me, aut ad summum, inter quos iudicassem, priuatim commune haberetur. Sed cum illinc huc Brixiam, profectus essem; & desiderium, atq; amor in patriā carißimam vehementius absentem incitarent me, ad ea, quæ ita scripta in scrinio continebam, in Dei gloriam, & in aliquorum fortasse vtilitatē diuinis ipsius auspicijs fretus in lucem edenda; cùm & istic antea, et hic postremo ad id inhortati fuerint, qui legissent, & suis calculis approbassent; passus sum vt typis commissa publicè haberentur. Quod vbi statuissem, tu vnus præstò fuisti mihi, cui perquam lubens huiuscemodi nostrā tractationem nuncuparem, & omni iure addicerem. Quam ob rem verò nulli alij præterquam tibi adiudicari, & tutelæ tuæ maluerim commendari illam, haud longiore oratione expositurus sum. Sed vt pauca quædam referam. Non in causa fuere externa ornamenta, atq; insignia (quibus tamen abundè polles) nempe familiæ nobilißimę splendor; opum, fortunarumq; multigenarum affluentia; progenitorum præstantißimorum decus, & claritas; præsertim parentis Hieronymi, & fratris Aui tui, Ansaldi: quorum iste præter insignem liberalitatem, ac studium (quæ de principio dixi) in nostros; etiam ob eximiam pietatem, beneficentiamq; in rempublicam statua marmorea, quod summorum virorum, ac de ipsa Rep. optimè meritorum; & eorum, qui patres patriæ iurè censeantur signum est, atque monumentum sempiternum; cohonestatus cernitur, tùm in aula publica, quod Illustriss. Ducis, Dominorumq; palacium vocatur; tùm in Diui GEORGII amplissima illa domo, quæ commune quoddā istic ærarium non iniuria propè habetur: parentem verò tuum, cum adhuc secularem (quod aiunt) vitam sectaretur, Clemens ille Septimus Pontifex Max. inter purpuratos patres car-

dinalicia

dinalicia dignitate insignitum voluit cooptari. qui compluribus annis eo in gradu honorificè cùm vixisset; tandem omnium bonorum mœrore tuoq; cum primis, & fratris tui Lucæ istic in patria moritur. quem religiosa monachorum Boschetanorum sodalitas iustis solemnibus pientissime persolutis, summa cum religione in sarcophago, quod idem Ansaldus sibi, & coniugi prudentissimæ Benedictinæ, cæterisq; post nepotibus suis, in ipsorum monasterio ad summam ecclesię aram posuerat; condidere. Non hæc igitur, siue alia eius generis prӕterea, sed vna tua potissimum (vt vno verbo dicam virtus, vt hoc efficerem, multò facillimè persuasit. Et quidem adolescentior cum esses, cuius ætatis nosse te cœperam, istius virtutis in te iacta esse iam semina mihi videre videbar, quæ quidem in dies (Deo benè iuuante) studio excolens, aucta subinde, tu ad iustam ætatem perductus, vt ad plenam frugem, & copiosam peruenirent illa; feliciter effecisti. Nam cum primum legitimo matrimonio clarissimæ, atq; honestissimę coniugi copulatus fuisti, Marietinæ; declarata est longè, lateq; virtus ipsa tua. Ea enim tu vxore potitus, quæ tibi ob animi dotes ante omnia se dignas, prudentiæ, modestiæ, pudicitiæ reliquarumq; virtutum, quorum gratia à cæteris cunctis in honore habita, tibi vero maximè omnium est carissima, perquàm egregiè consociata cernitur (vt hoc de virtute tua primum dicam) vnà cum ipsa in timore Dei (qui christianæ religionis est basis) vitæ vestræ cursum instituere cōtendistis; mutuoq; alter alterius irreprehēsibilia onera matrimonij portantes ambo ab illa die apostolicas admonitiones de eo statu, re, integerrimè præstare studuistis. Viri (inquit Diuus Paulus) diligite vxores vestras, sicut & CHRISTVS dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lauacro aqua in uerbo uitæ. Et alibi: Viri diligite uxores uestras, & ne sitis amarulenti aduersus illas. Diuus autē Petrus: Viri (ait) similiter cohabitent secūdum scientiam, ueluti infirmiori uasculo muliebri impertientes honorem tanquam cohæredibus gratiæ uitæ. Sic ad maritos illi. De vxoribus uerò Diuus Petr. Similiter & mulieres subditæ sint proprijs uiris; ut, et si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem lucrifiant; considerantes in timore sanctam, castamve conuersationem vestram. Ac Diuus Paulus, Vxores (ait) viris suis subditę sint sicut Domino. quoniam vir caput est mulieris, sicut CHRISTVS caput est Ecclesiæ. Ad hanc igitur formam respicientes, & illam tu quidem summa, honestissimaq; dilectione complectens, & in honore habens, neque vt subditam, sed tanquam sociam, omninoque tibi coniunctam ducens; te uero illa per omnia pudicissimè amans, & obseruans, & post Deum in te penitus acquiescens sanctum esse, & meritò laude dignum coniugij statum vterque ostenditis;

quem tam multi, heu, etiam si sacrosanctam fidem nostram profiteãtur, dehonestare non pertimescunt. Iam cum vos ita constitutos Deus nõ infrequẽti ꝓle (qui ex matrimonij fructus sanctè requirũtur donarit) quis nesciat quanta uigilantia, illa tibi probe consentiente curare nõ conquiescas; ut non tam opum ingentium, cognationis amplissimæ, & nobilissimæ, honorum sublimium, & id genus externorum insignium hæredes; quàm potius modestiæ, probitatisq; uniuersæ lõgè ornatissimi tibi superstites relinquantur? Ad laudem tibi parandam, omniumq; gratiam magnopere hæc quidem pertinent. Sed fortius, atque exuberantius (vt arbitror) quæ strictim addidero. Tu enim isto mundanarum rerum florentissimarum strepitu pro tuo ordine ac statu circunseptus; mansuetudine tamen, comitate, modestia, benignitate, bonorumque omniam morũ æquabilitate incredibili, te cunctis expositum, ac semper amandum, suspiciendumq; prebes. nulli iniurius, nulli nocens uniuersos caritate, beneficijsque prosequeris. & cum inter summos in patria nulli fortasso secundus sis; minimo cuiq; tamen dulcis, ac perhumanus probaris. Quanto autem amore, ac studio in Remp. afficiare; testis est moderatissima ista præterea totius uitæ tuæ institutio. propterea quòd, licet per tempora non defuerint, qui libidine dominandi, opum multitudine, principum externorum fauore, atque præsidio etiam fulti, ingrati, & impij in illam insurrexere; nunquam tamen in mentem tibi ut ueniret tulisti, quod uel minimum læderet illam: sed nocendi cupidos, & seditionis auctores semper cane peius, & angue execratus, ab eius sceleris, uel suspicione etiam liber ad hanc horam laudatissimè prædicaris. perspicis enim, vt inexpiabile facinus est cuius uis status, aut ordinis ciuem in patriam esse ingratum, contraque illam priuatis affectibus seruientem armari; ita honestissimi undecunque officij esse uirum patricium paci, tranquillitati, omniq; bono ipsius etiam cum uitæ dispendio consulere. Nanq; anteponendam esse patriam in amore parentibus ipsis prudentissimi quique semper censuere. Alia iam prætermisero, ne, quod fugio, incautior uolens nolens incurram. Sed illud præclarum omnimodæ virtutis tuæ speciatim non silebo argumentum, quòd cum infinitas propemodum diuitias auita hereditate consequutus sis; haud unquam adduci potuisti, ut indignis modis istis, quos non parum multi in totius gentis nostræ maculam, & ignominiam consectari pergunt: unde mihi scribendi potissimum (ut de principio dixi) materia exorta est; augendis illis incumberes. sed profligata nocentissima ea cupiditate, cęterarumque caducarum rerum appetitione, nequaquam in illis improbe acquiescens; desiderio potius ardes earum diuitiarũ, bonoris gloriæ quæ à Domino nostro IESV CHRISTO cunctis, qui ipsius germanam fidem excolere pro uirili contendũt,

citra

citra personarum respectum, sunt constituta. Vteris hoc mundo, iuxta Diui Pauli doctrinam; tanquam non utaris: & affluentibus diuitijs (ut admonet regius uates) cor non apponis. Hinc illa benignitas tua, ac largitas; quam veluti amnem à tuis maioribus in te dilabentem totis ulnis amplexus, ad eorum exemplũ nihilo minus illis per eleemosynarũ officia in egentes refundere alacriter studes. Extant cum apud alios, tum apud nostros istic beneficiorum tuorum, ac Lucæ fratris tui argumenta præclara, quæ nulla unquam memoria delebuntur. pro quibus is, qui pro minimis suis sponsor esse uoluit, accessionem uobis non pœnitendam spero faciet in æterna illa tabernacula. Sic enim diuitibus, ut facerent Dominus IESVS, & Diuus eius apostolus Paulus cum docuerint; illis (ut par est) tu dicto esse audientem incumbens, reponis tibi fundamentum bonum in futurum; ut æternam illam, atque beatam uitam consequare. Sed iam tandem hic mihi dicendi modus esto: Tuque ista præstantißima uirtute tua, qua ad tibi nuncupandum commentationem hanc nostram adductus sum, exporrecta fronte excipias illam, ut sub tanto patrono in publicum exire ipsa nõ uereatur. iniquorum iudicia siqua incidat, neq; curãs, formidans. Quis enim istis unquã satisfaciat? aut per eos quid boni effici ullo modo iam posit? studiosis autem, ac pijs non displiciturã confido, quòd & si non optimam, non tamen malam illam esse mihi persuadeo. Etenim scribendo una mihi primum Dei, & IESV CHRISTI gloria; deinde nonnullorum, qui inde legendo aliquousq; iuuari possent, utilitas proposita fuere. Quæ si consequi continget, quod candidè uolui, habuero; & quicquid boni erit, acceptum id totum ferendum fuerit ante omnia, cunctorum bonorum Auctori: tibique continuò pro tua portione gratia adscribenda; per quem ipsa nostra, unde qualecunque illud boni uoluit Deus, ut proficisceretur; scrinijs occlusa ad lucem prodiere. Sin uerò id minus fiat, uotum, atque propositum nostrum approbatum iri à Deo tibique addictam hanc meam uoluntatem haud ingratam fore non diffitebor. Bene uale.

Brixiæ ex D. Faustini, & Iouitæ cœnobio.
XII. Calen. Februarij 1567.

quatuor libris continentur.

CAPITA LIBRI PRIMI.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CAPITA LIBRI TERTII.

quo

CAPITA LIBRI QVARTI.

FINIS TABVLÆ.

HILARIONIS GENVENSIS MONACHI CASINENSIS

DE LATISSIMO AVARATIAE DOMINATV LIBER PRIMVS.

Præfatio.

SAEPENVMERO dum mecum cogito Christianæ Reipublicę statum, conditionemque illius, in qua nunc posita cernitur, animo complector; tanto mœrore afficior, vt vix lachrymæ mihi contineri possint. quondam enim illa diffusa per orbem: per Asiam, Africam, atq; Europen amplissimè dilatata, nunc angustis vnius Europæ finibus vix stringitur. Neq; solum hoc mœrore, ac luctu dignum; verumetiam quicquid est, quod in hac minima orbis parte christiano nomine censetur, & Ecclesiæ catholicæ cum in vniuersum, contrà, quàm à CHRISTI Domini lege habemus; & viuat, & sentiat: cur est quòd quis non incredibilem dolorem accipiat? Cum impiis aduersum fidem dogmatis habuit inde à principio, cum ab Apostolis propagata fuit, bellum: maculis autem perditè viuentium subinde aspersam, ac fœdatam scimus. at si nostra tempora iustè examinentur: in hac confertim omne genus labes, noxas, calamitates, quę antea per partes, interimq; grassabantur, confluxisse sanè videbimus. Excitata enim omnia propè sunt antiquorum hæreticorum portenta (heu) ab inferis, & cineribus; & his noua insuper profligati homines adiunxere. Iam verò flagitiis, ac sceleribus vniuersis ita indulgetur; vt non Euangelium, non sanctam legem Mosis, sed ne vllus quidem natura honestè viuendi modus, apud nos vnquam illuxisse videatur. Ego verò in nostras hasce miserias hic altius ingredi nolim. patent illæ cuiuis non insano, in oculos, velimus nolimus, incurrunt.

Tantum dico, maiorem in modum pertimescendum esse, ne idcirco nos prorsum Seruator derelinquat, neu vineam suam ad alios agricolas transferat; neu regnum suum, inaudita eius benignitate nobis tributum, gēti tradat, quæ ineffabilia hæc ipsius merita ac beneficia agnoscens, ipsum colat, obseruet pie que, & sanctè veneretur. Non Ecclesiam nos desituram vnquam dicimus, quæ in firmissima petra fundata est, aduersus

Matth. 16. quam portæ inferi non præualebunt: generatio nanque est,

24. quę durans in seculi finem vsque, donec vniuersa, quæ constituit Deus, compleantur, non præteribit. verùm membra indigna, contaminata, putria, ac tabo corrupta abscindenda esse, quis negare pergat? Et quidem complures anni sunt, quòd remotissimis regionibus, ac populis fides nostra allata cū fuerit, summo studio, piisq; animis eam exceperūt, & in dies certatim frequentiore numero amplectantur; vt nonnulla hęc cō iectura videri possit, sensim nostris huius generis moribus, et institutis propulsatam, ad exteros illos demigrare. Quo studio autem Hebræorum nationem complecteretur Deus, norunt sanctarum literarum studiosi. sed cum perfidè semper, atque implè sese habuerint erga illum; reprobatam, abiectamque fuisse, æquè norunt. Quòd si ingentioribus, ac pluribus intelligimus nos ab illo benignissimo cohonestatos esse beneficiis; quò maior eius est gratia in nos, quo felicior, quàm illorum nostra est conditio, si ingrati sumus, si in scelera vehemētius incumbimus, eò ipsius in caput nostrum iram magis inflāmari necessum erit. Quod vtinam animaduerteremus vniuersi, omnium cōditionum, graduum, ordinum; singuli à minimis ad maximos vsque, seriò expenderemus. Mihi autem quando nec ad omnia, neque omnibus par esse possum, occurrendum esse qua parte possim, impendentibus meorum ciuiū malis, patriæque carissimæ statui. honestissimum enim semper habitum officium fuit, & ad pietatem sanè quampertinēs salutis patriæ amantem esse; atq; ex re illi fore, opera, studio, atque conatu incumbere. quod qui secus faciat, non ciuis sed aduersarius, hostis, proditor, & parricida existimari posse videatur. In vtranque partem, abundè exempla. Romanorum res. olim, etiamnunc sufficiunt: tametsi neque apud barbaros defuerunt, qui patrię bonum, integritatemque vnice cara habuere. Vt ergo scelestorum abiicere formas ex animo, ne consectere; sic studiosorum retinere penitus, quò imi

teris; rectè factum statuendum est. Itaque cum rebus aliis quamplurimis patrocinio esse nequeamus; oratione, ac scripto, adesse officio sanctissimo adnitemur. Peculiari enim professione cum à mundanorum negociorum omni genere seiũctus sim, sacrisq; in monastices instituto initiatus, ac Deo prorsus addictus, hoc tantisper nunc mihi reliquũ factum video, vt scribendo, caritati atque adeo pietati patriæ non desim. Nemo vero hic à me eloquentiam requirat, pompamq; illam verborum, & phaleras, ac ludicra dicendi artis; quę vt nunq̃ anxius expetiui, ita carere eius ornamentis facilè patior. Res enim à christiano viro, siue ex sorte Dñi speciatim, siue nullis initiatus sacris fuerit, cum primis requiri oportet; ad eas intẽtio est dirigenda: ac modo sordida omnino loquendi forma & fœda barbaries absit; fucos, & affectatam dictionem aliena à nobis existimo. Qua de re plura non dicam. sed exordiri Deo bene iuuante, iam instituens, id prius etiam atque etiam moneo, quicunque hæc nostra lecturi audituri que sunt, vt accipere illa eo animo velint, quo à me scribuntur. Alius quidem certè de his plenius, absolutius, melius disserere posit: amantius verò neminem putem. cui amoris affectui, si cætera responderent, mecum optimè actum, & officium plenè præstitisse iudicarem meum. Alia igitur si desint, desiderari ardentem caritatem nolim, votum, propositumque: quę semper ante alia amplecti ab humanioribus, studiosisque solere, nouimus. Adsit ergo ille *IESVS*, cuius honori, & gloriæ hæc moli mur: quem vt confiteamur verbis, ita factis (vt reuera christiani dici posimus) omnes amitti par est.

DIVINA BENEFICIA, TVM INGRATITVDO *nostra, atque prauitas ingens seriò expendenda.*

Caput primum.

IN PRIMIS reputanda nobis esse cõstituo continenter innumera, atque ingentia optimi parentis Dei erga nos beneficia, cúm naturæ, tum gratiæ; vt duobus verbis diuinorum munerum, ac meritorum in nos infinitatem complectar. & hæc quidem cum tota nos Ecclesia (cuius nos partẽ esse gaudemus) communia habere scimus. Mittimus veró quæ priuatim singulis in diem, vt frequentissimé, sic summa bonitate (nisi animaduertere ea stulti nolimus) tribuuntur. Sed quæ speciatim annis ab hinc 38. percepimus, vt consideremus vehementer velim. Inopinato sané ac mirifico Dei consilio, & manu, nos ex diuturnis, ac nocentissimis inter nos dissidiis ad vnitatem, exoptatissimumque statum Reipublicæ adducti sumus: quem si ad prętęrita tempora conferemus, perinde atque ad vitam á morte excitatos nos, quis non dicat? Quid ita vero ergo nos Deus? Nempe quód singulari nos amore prosequeretur, optaretque vt se agnosceremus bonorum omnium largitorem munificum; se veró continuó, vt ipsius lex (quam etiam illius munere accepimus) habet, coleremus. Partium enim hoc nostrarum, vt cæterorum etiam christianorum est, numen eius, maiestatem, bonitatemque suspicere, venerari; & qui in eius Ecclesiam cooptati sumus, Deum ipsum nostrum Optimum Max. syncera atque integra religione, vno animo adorare. Verum nos stulti valde hinc deficimus, ingratiq; in illum minus parti nostræ respõdentes, neque ea, quæ ingentioris momenti sint, prę stare contendimus. At ne sic quidem á beneficiendo manum subduxit. conniuẽs enim interim ad scelera nostra, ingratosque in oculis etiamnum ferens, beneficia beneficiis cumulare in hunc vsque diem haud cessat: tantum vt ad meliorem frugem conuertamur, vt ne nos perdere obstinatos in malis cogatur. Pergimus autem miseri in turpitudinem, & beneficẽtia Domini abutentes, vt perdité magis in dies viuamus, studio contendere videmur. Quam rem quis non luctu dignam censet? quis non omnino cæcus ob id in lachrymas non commouea-

moueatur? Deus nihil non facit quod nostro bono, atq; cõmodo fit: contemnimus nos omnia, & in eius contumeliam conuertimus. Quid? christiani dicimur, & ceremoniis nõnullis esse prænobis ferimus; sed lõge quàm à veritate distamus factis, atq; sententia. Quanquam enim mentis constitutio in abdito, ac latebris intrinsecus occulta, peruideri haud potest, eam tamen in synceram esse (ne acerbiore voce vtar) effecta, quæ inde proueniunt, declarant. Quæ mala nostra explicanda censeo, & ob oculos ingerenda: non quòd illa non pateāt, sed quòd illis adobruti, tantum non, quin rectè intelligamus, distinemur. Intelligimus imò, agnoscimus, damnamus plerique omnes, sed mirum certè, quòd præterea nihil.

INIQVITATIBVS IRAM DEI PROVOCARI; *inde aduersa in nos proficisci; quæ pœnitudine tolluntur.* Cap. II.

AC mihi ita habere nos videtur, vt qui pedum ac manuum morbo laborant, dum humorũ infestam vim sentiunt; detestantur illā horrēt, & ab ea intemperie expurgari deliberāt: mox vbi molestia cessarit, nihil iam de ipsa cogitāt, imò verò maiore appetitu in ea feruntur, quæ proprio periculo magis augere malum didicere. Quę res vt nos maiore in culpa constituit, ita facilius lentitudinem Dei à nobis depellere comprobatur. Neque hoc solum, verumetiam exasperari magis, & ad sumendas de nobis pœnas vehementius inflammari hac nostra peruersitate, quis non videt? Iam clara apud nos, ne communes totius christianæ Reipublicæ calamitates (vt de principio indicauimus) dicam, diuinę irę indicia habemus, quanquam clementer ac leni manu illa quidē exhibita. Iam ter, atque quater impii Turcarum tyranni classem in nostras clades impunè delatam, atque multa cum confidentia, ipsi vidimus. Nam quòd piratæ etiam ex obscurissimis locis nostra maria multis ab hinc annis licentiosè præter currant: auiditatem præter cætera diripiendi in causa esse, vt donemus, (etiamque si huc cum iniquitatibus nostris secordia ac somnus concurrant) attamen quòd pro more ferè ac solenniter Turcarum copiæ cum numerosa trierium manu, tanta cum audacia nostras regiones oppidaque inuadant, expugnent,

gnent, depopulenturque; quid ita fit, preterquam ꝙ ingenti bus noſtris ſceleribus, Dei beneuolentiam vnde bonum omne redundat, a nobis auertimus? contra eius iram maioribus viribus inflammamus? Iniquitates, flagitia, ſcelera cuiuſuis generis, ea ſunt, per quæ atrociſsima hæc mala efficiuntur. Carere his volumus? Contaminatiſsimæ radici, vt quamprimum admoueatur ſecuris, omnino neceſſe eſt. Quidquid moliare præterea, quicquid ſtudeas, prouideas, agas; niſi pœnitudinem iuſtam amplectamur, nihil prorſum promouebitur. Quam ob rem animaduertamus, & diſpiciamus tandem cauſas, & morbos grauiſsimos, quibus oppreſsi iacemur.

AVARITIAE STVDIVM ARDERE IN *cunctis.* *Cap.* III.

Ep ſtola Io. p.cap. 2.

COMMONSTRAT Diuus ille Ioannes Euãgeliſta, tres tanquam fontes malorum omnium; Nolite (inquit) diligere mundum, neq; ea, quæ ſunt in mundo. Si quis diligit mundum, nõ eſt dilectio Patris in ipſo: quia omne quod eſt in mundo (nempe concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ) non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Concupiſcentiam carnis audis; fontem ac mare adeo corporearum voluptatum multigenum intelligito. Concupiſcentiam autem oculorum (qui in res ferè vniuerſas feruntur) abyſſum, voraginemque cupiditatis augendæ rei accipito. Superbiam vitæ verò, præclarè citra inuolucrum, quam caput malorum omnium ſcriptura alibi ap
Eccleſiaſtici 10.
pellat, dicit. Amnes ſunt iſti, ac flumina certè immania, & immenſa, vnde nulla non turpia facinora ſuam ſumunt originem, quæ tanquam riui peſtilentes, ac toxico infecti, quamcunque mentem attingant, veneno corrumpunt. Cerne ergo mecum, atque animaduerte lector, an non paſsim hæc inter nos inundarunt? an non omnes penè hiſce amarulentis aquis demerſi ſurſum deorſum deuoluimur? Ac, vt de duobus aliis alias, nunc ad auaritię labem manifeſtandam oratio noſtra procedat; vbi non ita argumentis ex abdito erutis opus eſſe mihi videtur, ac prolixis diſertationibus, ſi (vt ſunt res noſtræ) acta, factaque in conſiderationem ducamus. Quotus quiſque, obſecro, ab hac lue illæſus exiſtit? Quam conditionem

nem quem statum, quem ordinem, atque adeó quem sexum
non illa tenet? ad quem hæc perniciosa aqua non attigit?
quis ex ea, quantumuis bibat, etiamnum sitim execrandam
restinxit? Nobis quàm quibus maxime, nobis conuenit à
Ieremia dictum: A minore quippe ad maiorem vsque, om- *Ierem.c.6*
nes auaritiæ student, & à propheta vsque ad sacerdotem cun-
cti faciunt dolum. Et rursum: Tui veró oculi, & cor ad aua
ritiam. Vereor autem ne perinde de nobis, vt olim de popu- *Ier. 8.*
lo Israelitico per Isaiam Dominus iure dicat: Propter iniqui
tatem àuaritiæ eius iratus sum, & percussi eum: abscondi à te *Isaię.57*
faciem meam, & indignatus sum.

RATIONES NEGANTIVM AVARITIAM *dominari. Cap.* IIII.

AT enim nonnullos mihi non assensuros intelli
go, sed negaturos potius ita latè patere inter
nos auaritiæ malum, nec ad id facinoris perti-
nere, quæ à nobis maximè creduntur. Varias
enim formas, modosque in negociis lucri gra
tia excogitata, in vsumque recepta, non auari-
tiam habere affirmamus (inquiunt) sed honestas causas, & in-
culpatè exerceri: imprudentes esse qui id non videant, teme
rarios iudices, atque ruinę propè autores, qui ea facta vt ini-
qua, & ab auaritia profecta condemnant. Timere nos vultis
(aiunt) vbi non est timendum & importunis laqueis vt inno
cuorum conscientię irretiantur, operam adhibetis. Obiiciunt
porró ex autoritate Salomonis culpam esse, cum quis nimiũ *Ecclesiastę.*
iustus esse vult: Regia gradiendum via: non declinandũ vel *7.*
ad dexteram, vel ad sinistràm; extrema vtrinque fugienda es
se. Condemnamus auaritam (inquiunt) sed nõ diuitias, quę
vt cætera Dei effecta omnia, bonas esse fateare necesse est. *Genes.1*
Quód si illæ bonæ, bene etiam fit dum illis parandis incum-
bimus. An non ille acceptissimus Deo Abraham valde etiã
diues fuit? Non ne eius item nepos Loth? Non ne Iob? &
plærique patrum antiquorum memoria, ne nominatim cen-
sendo prolixiores simus? Quid ita malum (rogant) est con-
gregare diuitias per varias artes? quandoquidem hisce, do-
mus familiæ, respublicæ, prouinciæ, regna eriguntur? con-
seruantur? augentur? Decus ingens per eas in mundo decla-
ratur.

ratur regia maiestas, magnificentiſsimi quique ordines, apparatus ſplendidiſsimi hinc habentur. hinc precioſorum veſtimentorum, ædificiorum, non tam ad humanos vſus, quàm diuinos honores, amplitudo, ſplendor & gloria. Innumeris inſuper malis & incõmodis huius vitę opum vi occurri, præſertim cum in egenos (quod acceptiſsimum Deo eſt officiũ) liberaliter confertur, nemo non videt. quæ quidem diuitiæ ſi tollantur, maximo decore, vtilitate, iucunditateque, & gratia careat hic muudus, neceſſarium erit. Eſto animi cum periculo fateamur eas tum parari, tum retineri, et leuiori fortaſſe opera ad verum chriſtianiſmum pertingere poſſe nõ diuitem; cum Dei tamen gratia ſummis cum diuitiis ingredi poſſe cœlum cenſemus. Nam quod impoſsibile dixit Dñs diuitem ingredi in regnum cœlorũ declarauit idem eam impoſsibilitatem ad homines, quod ad proprias vires eorum attinebat, referri: non item ad Deum, qui cum omnia poſsis. Et Paulus
Timoth.c.6 item modum præſcribit, quo diuites huius mundi vitam æternam conſequantur.

QVEMADMODVM FALLANTVR, QVI AVARItiæ negant dominatum. Cap. V.

HÆC fere ſunt, quæ nobis fortiſsime opponere ſe arbitrantur, ſeque excuſare, ac defendere noſtri temporis homines pergunt; noſque nimium ſeueros affirmant, aut falsò iudicare, qui nonuulla forte cum inuidia, ſecundum illorũ ſuſpiciones, in crimine auaritiæ nullos non fere eſſe fatemur. Sed quàm vellem lector (vt hanc primam ſuſpicionem amoueam) vt diuitiæ non impedimento, ſed adiumento potius ad promerendam cœleſtis patriæ hereditatem reipſa eſſent illę quidem. non enim inuidioſa nobis eſſet noſtrorum hæc duplicata (vt ſic dicam) felicitas; ſed magis adgratularemur; & hoc nomine gaudium, ac voluptatem non paruam in ipſorum gratiam acciperemus certe. Iam quòd omnia Dei manus poſsit, minime apud nos controuertitur. Omnia enim ille quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra;
Pſalm.134 in mari, & omnibus abyſsis. Vtinam verò & nos falſi iudices ac cenſores: vtinam porrò q̃ longiſsime a finibus, atque adeo ab vniuerſis qui *CHRISTO* nomen dedere, excluſa,

&

& ablegata fuisset auaritia perpetuó exulatura. Sed longe in contrarium esse rem, atque habere, extant significantissima argumenta, quibus cum primis hanc cupiditatis ægritudinem nobis iam diu dominari, atque penitus hærere conuincitur. Sic nomine & habitu, quibus probro dignissimis facilime' internoscitur, dispoliauimus: contra veró ita speciosis quibusdam operimentis, appellationibusque nescio quibus, quæ citra turpitudinem esse vidétur, cohonestauimus illam, vt quidem virtus, non autem vitium christianis pernicosissimũ omnibus appareat. Sed tamen ab fucata, & adulterina hac specie non fallitur is, qui mentis oculo Dei lumine, atque doctrina illustrato, penitiora, quám quæ vulgo cernuntur, perspicit. Agnoscit hic laruam, & virus late inficiens quaquauersum, atque corrumpens incautos; abominatur, damnat, & qua potest voce, omnibus disturbandum fugiendumque prædicat. Rationes sibi afferre videntur, vt iustam faciant cupiditatem habendi, cum maxime sit in vitio: & quas sine ratione esse, (Deo bene iuuante) declaraturi sumus. paradoxa quædam afferre videbimur. quid ita rogo? Propterea quód exitiabili errori iamdudum acquieuimus & calice aureo Babylonis inebriati, in amentiam, præposterumque iudicium conuersi sumus; ita vt bonos monitores rideamus, despuamus, oderimꝰ. Vidisti aliquando decumbentem, qui pro morbi magnitudine (vt qui vel penitissime insederit, vel qui sensum pene' abstulerit) interrogatus quo pactó habeat; non male, sed bene, cum pessime; se habere respondet? Sic propemodum mihi hæ voces ab animo se sanum existimante, cum maxime langueat, proficisci videntur. Ridet furia correptus diligentis, anxiiq; medici curam; & crudelem dictitat, qui á veterno oppressus iacet, excitantem se. quod genus morbos, periculosissimos, exitiabilesque esse, cum medicorum peritissimi affirment in corporibus, quanto grauiores censendum est fore, quando ad eum modum animi afficiuntur? Ad hoc (heu) mali deuentũ est, vt quæ vera sunt, vera non esse ducantur; tantumque inualuit satan ipse, vt, quod secundum legem *CHRISTI* efficiendum est, cum videatur absurdum, tum fieri vllo modo cũ decore non posse dictitet: nec non vt humanis commentis euangelicam, & apostolicam doctrinã dilutam reddere, in hac parte studeat homuncio. Age ergo ad lucem veritas (quantum quidem viribus nostris robur dederit Deus) proferatur:

atque de hac peste auaritiæ primum tractemus. Sese enim illa suis ipsius notis prodet inter dicendum, palamque faciet latissime inter nos immanissima tyrannide præesse. Nam vt cũ fumum cernimus, fateri cogimur ignem subesse, ita cum effectus illos genuinos, indolemque germanam auaritiæ manifeste rebus ipsis inesse conuicerimus, quis eam præsentem post hac neget? Adhibe huc mecum animum, & mente intentus considera.

QVID SIT AVARITIA; EAM PRAETER NATVram esse, necessaria citra culpam appeti, ac requiri: & vnde facile auarus deprehenditur. Cap. VI.

DEFINITVR auaritiam esse inordinatum habendi appetitum: qua breui simplicique definitione nunc contenti simus. Vnde & Latini hi, qui veram appellationum originem, quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, curiose rimantur; hoc est auaritia, inquiunt, quasi æris auiditas. Nam vt latius pateat habendi appetitio, nempe ad honores, ad voluptates: auaritia proprie ad rem pecuniariam, & ad ea quæ vt plurimum pecunia diuenduntur, refertur. Quicunque ergo harum rerum inordinata cupiditate distinentur, auaros esse in confesso est. Namque cupiditas ipsa generatim in omnia, quæ corpori commoda sunt, nobis natura ad nascitur, & dum modo, ac fini suo continetur, culpa caret. Quod si extra limites suos feratur, hoc non iam ex inculpata conditione, atq; natura, sed á vitio, & peccato emanat: Quare morbum hunc non naturalem, sed præter naturam vocant animorum moderatores. Arguméto hic esse possunt infantuli, vix dum á cunis egressi. Mirum enim in modum haudquaquã edocti, sponte tamen sua ad gulam cientur, appetentes auidiuscule cibos; inducuntur in iram, quoties occurrat res, quæ tenellam adhuc imaginationem illorum molestet. Mitto aliorum motuum indicia. at minime ad aurum propria cupiditate feruntur. Sic etiam belluæ, animantesque rationis expertes, quanquam ad cætera appetenda sibi conducibilia, aut ad propulsanda nocentia aguntur; nullum tamen in eis auaritiæ vestigium cernas. Admiranda namque certa quædam in nõ nullis eorum prouidentia apparet in parandis necessariis, vt in

In formica nemo non agnoſcit: at in ſuperfluis nullum occu
patur. Cum igitur quis ad quærendum alendæ vitæ neceſſa
ria affectu ducitur,non erit in vitio, aut auaritiæ propterea no
ta dignus; ſed quando idem immoderatè,aut ſuperflua quæ
rens, faciat. Neceſſaria etenim quærere, maxime quidem po
ſteaquam ob peccatum huc deuenimus, á prudentia: ne-
que illaudabiliter, fieri dicere poſsis: conſentiente illa ſen-
tentia, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Salomone *Geneſ. 3*
item; inertem ad ipſam contemplandam formicam ablegā-
te. Sic enim ille: Vade ad formicam ó piger,& conſidera vias *Prouerb. 6.*
eius,& diſce ſapientiam: quæ cum nõ habeat ducem,nec præ
ceptorem,nec principem,parat in æſtate cibum ſibi, & congre
gat in meſſe quod comedat. Vſquequo(addit)piger dormis?
quando conſurges á ſomno tuo? & quæ ſequuntur;quæ qui
dem etiam ſi ad ſublimiorem intelligentiam ante omnia re-
feruntur,propoſitum tamen ſimpliciter confirmant. Cæte-
rum extra hæcce honeſtæ neceſsitatis ſepta deflectere, nõ pru
dentiam,ſed prauitatem ſectari;non prouidentia regi, ſed æ-
gritudine peſtilenti laborare hominem declarat: tantoq; ma
iore ſcelere,quanto ardentius,& minus neceſſaria ad vſum vi
tæ cõcupiſcit. Quæ cũ ita ſint; huc mihi adſint diuites noſtri
diuitiarum cupidi iſti,in quæſtionem adducant animos ſuos
examinent,diſcutiant ſeſe penitus: demum ad hanc regulam
ſe cõponant. Si enim immoderato affectu ferri te vides quiſ
quis es; ſiue in ea,quæ ſunt neceſſaria,ſiue minus; comparan
da incumbens; palam eſt morbo hoc te laborare. Audiant
vniuerſi,ſiue diuites,ſiue pauperes. Non in re conſtat, ſed in
cupiditate auaritia. Quá ob rem licet pauperior Codro quis
ſit,auariſsimus tamen eſſe poteſt,dum in rem,quam non ha-
bet,obtinendam,inſatiabili agitur appetitu. Non eſt omni-
no cur ſe pauperes palpent,dicendo: vt auari nos ſimus, qui-
nam fieri iam poſsit? cum plurimo labore etiam vix neceſſa-
ria nobis,noſtra hac infelici ætate comparare valeamus? Ca-
ue enim ne morbum diſsimulans incuratus per-
eas, quod mala minimè animo aduerſa,
quibus haud opportunis re-
mediis occurritur,
ſenſim
ad
interitum deducunt.

PRAETEXTVS ILLORVM, QVI SE AB AVARITIA *liberos esse videri volunt, & vt cito dinoscantur.*

Cap. VII.

AT enim adhuc cunctamur, hæremusque: & nemo ferè est, qui se hic modum seruare non dicat, quique non sibi certos quosdam fines præstituat, quos honestissimos esse contendit: Hoc vero vt probent, tam multa afferunt, vt molestum, ac tædiosum censeam ea omnia referre, sed insigniora illorum commemoremus. Quo pacto (inquit) rei parandæ non insistam, quādo me hinc cessante, necessaria prorsum mihi ac meis defutura erūt? Nam si hęc tempora nostra cum sæculis maiorum nostrorum cōferantur, illa aurea, nostra verò ferrea, aliud'ue peius appellare licebit. Caritatem nunc, ac propè penuriam rerū habemus. tellurem ipsam, mareque effœta, sterilia nescio pacto experimur. in angustiis negociorum, defectuque non pœnitendo frequentium illorum exercitiorum, & artium, quibus nobis tenuioribus in primis commoda sustinēdæ vitæ parari facile in vsu erat, multò maximè versamur. Adde numerosam familiam, eamq; in dies crescentem, quam alere nobis necesse est. Quare si ab hac cura cessemus, nō periculum, sed indubitatum videmus, vt nos, nostraque perditum, contra naturam, contra humanitatem, contra Deum ipsum, dedamus.. Iam & ea mala (si acquirendi affectum compresserimus) exoriri vsu cernuntur, nempe qui in egestate constitutus, nihil lucri aliquo modo corradens, facilè in iram commouetur, ob rerum defectum identidem vociferatur, intoleranter erga omnes habet se, & non raro (quod omnium grauissimum est) vocibus impiis, execrandisq;, Deum, & sanctos lacessit. Atque præter cætera, & id mali ab rei carentia manat, quòd qui opum satellitio, ac fauore destituitur, contemptui est ille quidem; nullo honore dignus censetur; abiectus vltrò, citroque, probrisque adeò, & iniuriis quorumlibet expositus est. At verò vniuersa hæc haud sentit qui diues est; & qui implendis penuariis intentissimus vacat, molestias huiusmodi deuitat. His, & huiuscemodi prætetea multis rationibus, præsertim quos dicebam tenuiores, suam lucrādi cupiditatem defendunt. & qui amplioribus fortunis sunt, non tam necessitatem, quàm honestatem quādam statui suo

con

congruentem opponunt, quam vt conseruent, non auarè se facere, aut immoderatè si lucra sectentur, affirmant. Quibus in vniuersum iterum dicimus, vt etiam atque etiam videant, ne sibi ipsi imponant. Fallimur namque multo facilimè specie recti, & quæ ad nos maximè pertinent, quibusque afficimur, eorum difficilè veri censores, & incorrupti sumus. Quare optimè vulgatum illud sancitum est, vt nemo propriæ sit causæ iudex ob φιλαυτίαν, quam nos Latinè vocem, amorem sui dicimus. Cæterum quando peringens esset omnia, quæ in contrarium aduersus illorum sententiam facerent, adducere; & singula speciatim expugnare, & nimium longum, & nō ita fortasse vtile: In summa interim, vt citra inuolucrum, nec operosè admodum intelligas, vtrum immoderata cupiditate habendi tenearis, necne: sic habeto. Cum ob tuum, ac tuorū vsum, necessitatemq; siue alius cuiusuis respectus gratia, quem rationabilem esse tibi ipsi persuades, agis, facis'ue tute, aut fieri permittis quicquam, quod non secūdum Dei legem sit, & germanum christianè viuendi modum, tum indubitatum sit te auaritia laborare, extraque rectum callem porrò discurrere: neque vllam tibi hic excusationem suffragaturam. Voluntatis etenim Dei est, honestum proinde (vt antea diximus) necessaria vitæ quærere. Et laborabat Diuus Paulus ob id manib. suis, & alios adhoc adhortabatur, vt etiam alii frequentissimi præterea. At sollicitudinem, nimiamque curam ne in hac quidem parte approbat Deus; sed vt in se illam omnem cuncti fideles remitteremus, per benignè admonuit, atq; iussit.

1. Cor. 4
1. Thessa. 4.
2. Thessa. 3.

IN CVLPA MAXIME' ESSE, AC POENA

dignißimos qui seruatoris verba, atque consilia cauillantur: non ex parte, sed ex toto doctrinam eius amplectendam esse. Cap. VIII.

AVDIATVR ipse Dominus. Nolite soliciti esse (inquit) quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Ex consiliis sunt ista (inquis) nō

Matth. 6
Lucæ. 12.

reuē

reuera præcepta,quibus omnino, si salui esse volumus, sit parendum . Et ô stultissime tu(ne impiissimum dicam)quid sibi hæc vox? vnde hæc cauillatio? Quid? nisi quòd ea nolis sequi consilia? Filii Dei, Seruatoris tui, consilia sequi non vis? At cuius sequere? Ne delira censes illa fortasse? stulta? fraudulenta? iniqua? perniciosa? Quæ satis mihi sufficiat oratio ad hanc improbitatem non demonstrandam,quæ patentissima est, sed castigandam? disturbandam? exterminandam? En in quam caliginem,ac fecem res nostræ. Scilicet quod docti sumus discernere inter præcepta,& consilia: ad ea inuiti ac tergiuersantes perficienda trahimur: hæc verò frontosi contemnimus,& fortiter auersamur. Fac verba,quæso te lector,de hac nobilissima doctrina Iesu mei: vel non animaduertimus,vel si intentius audiantur illa,aut pro affectu interpretantur; aut tanquam ad inopinatissima commenta recentissimè excogitata,ad ea in stuporem qui audiunt,conuertuntur. Sed esset stupere hoc,atque admirari aliquid, si fructus nonnullus acciperetur hinc. Sed vt fulguris splendor visus non visus, è vestigio disparet,ita cum à dicendo cessaris,admiratione,stuporeque remissis, atque extinctis, ad perficiunda consilia,ac suggestiones immanium carnificum nostrorũ præstò sumus. Argutetur verò quis,vt quanto maximo acumine potest,vt lubet; perspectissimum,& omni demonstratione est euidentius,qui hanc sequi filii Dei doctrinam non ad-
Lucæ.6. quieuerit,cum ipso pessimè esse agendum. Cur(inquit) vocatis me Domine,Domine,& non facitis quæ dico? Et alibi.
Lucæ.12 Ille autem seruus,qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit,& non fecit secũdum voluntatem eius,vapulabit multis. Quòd si inter mortales quotidie fieri cernimus,quid inter nos & Deum fiet quæso,dum à sciẽtibus,prudentibusque eius voluntas contemnitur? præuaricatur? At ne summo nostro malo persuadeamus nobis, partem impunè prætermittere posse diuinissimæ illius voluntatis, atque doctrinæ,dum partem vtcumque retinemus,considera eiusdẽ Domini grauissima verba,quæ tanquam fastigium,culmenque sermonis,quem in monte habuit præsentibus discipulis,im-
Matth.7 posuit: Qui audit verba mea hæc,& non fecerit ea,assimilabitur viro stulto,qui ædificauit domum suam super arenam: & descendit pluuia,& venerunt flumina,& flauerunt venti,et impegerunt in illam,& cecidit, & facta est ruina eius magna.

Inter

Inter ea verò, quæ qui audita non seruauerit, hunc stulto similem (vt audisti) Dominus pronunciauit, tùm quæ paulò supra adduximus (ne erres) tùm alia multa, quæ nostrum hoc viuere non esse christianorum, apertißimè conuincunt, continentur.

FRVGALITATEM, NON ITEM LVXVM conuenire christiano in vita tuenda. Cap. IX.

SED enim nescio qua ratione negabitur fortasse ab istis, se quicquam in Domini nostri *IESV CHRISTI* doctrinam committere; candide se, & absque præuaricandi intentione negocia peragere, atq; artes exercere suas. Sed vt vt verbis tueri se poßint, tantaque sit mentis craßities, & ignoratio, vt animaduertere nequeant veritatem; age ad facta ipsa oculos conuertamus; quibus, nisi studio errare voluerint, errare tamen apertißimè conuincentur. Sed priusquam ea palam exponamus, docere est animus non ita multis opus esse christiano ad vitam honestè tuendam; eamque honestatem multo esse aliam, ac quàm vulgo existimant. Paucis enim (vt verè ille dixit) minimisque naturam contentam esse: ingentia verò, ac plurima quòd tantopere requirantur, à prauitate emanasse. Audiamus igitur breuißimè, quid sapiens hebræus ille dicat: Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem. quibus verbis, quid nisi sobriam mensam, vestimēti genus citra preciositatem, molliciem, luxumq; & habitationem ab iniuriis cœli modò vendicantem nos, conuenire pio homini declaratur? Hæc probari à sanctis literis scimus. At quòd contraria iuxta damnent, constabit, cum vnum atq; alterum locum adduxerimus. Attendite autem (ait Dominus) ne grauentur corda vestra per crapulam, & ebrietatem, & sæculares solicitudines. Diuus autem Paulus: Sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis. Hæc de cibo potuq;. Iam de vestitu. Cum laudaret Dominus præcursorem suum de vestimenti asperitate, mollia ac luxuriosa taxans; Ecce (inquit) qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Et vtranque turpitudinem damnatam legimus in diuite illo, de quo Lucas:

Boetius *Ecclesia. 29* *Lucæ. 21* *Rom. 12* *Matth. 11*

Luc. 16 Erat homo diues, qui induebatur purpura, & bysso, & epula/batur quotidie splendidè. Ornatus muliebres verò, cum Paulo, apostolorum princeps etiam maximè coercet: quanquam nescio quo pacto male quidam vtriusque verba exponunt. Sic igitur Petrus: Quarum ornatus non sit externus ex pli/

1. Petri. 3. catura capillorum, ex circumpositione aureorum, & ex pallio rum indumento, sed absconditus córdis homo in integritate modesti, ac quieti spiritus: quod summo in precio est coram

1. Timoth. 2 Deo; Nam in hunc modum sanctæ mulieres ornabant se. At Paulus. Similiter & mulieres in vestitu honesto, cum verecũdia, ac pudicitia ornent seipsas, non tortis crinibus, aut auro, & margaritis, aut vestitu precioso, sed qui mulieres deceat, pietatem per bona opera profitentes. Si hæc mulieribus, quę pietatem religionemq; profitentur, hoc est, quæ nõ nomine, sed re christianæ esse gaudent: si his inquam, ista prohibere cer/nuntur sanctissimi apostoli, colligamus hinc primum necesse est, quæcunque his rebus ornare sese curant, longe alias esse, nempe non reuera Christianas. Quòd si ista sexui infirmiori

1. Timot. 6 per apostolos haud licent, quãto minus ad viros pertinebũt? Habentes ergo nutrimenta (alibi Paulus) atque tegumenta, his contenti erimus. Cæterùm de habitatione dicat Isaias.

Isaiæ. 5. Ve qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in terra? Quanta cum indignatione hæc sint dicta, prudens mecũ lector intelligit. In auribus meis sunt hæc dicit Domi/nus exercituum. Audi molestiam, quam hoc factum Deo o/ptimo Maximo inferat, vt iuramento eorum ædes demolien das aiat. Nisi (inquit) domus multæ desertæ fuerint grandes & pulchre, absque habitatore. Sunt qui principibus, ac magi/stratibus lautius conuiuari, splendidius vestire, magnificenti/us habitare concedant, eo nomine præsertim, vt ex his externis ornamentis, atq; insignibus, rude vulgus reuereatur eos, vt ne contemptui habeantur, neque eis obtemperare, ac sub/di detrectent. quæ quidem ratio, an solida sit, ac necessaria, viderint qui adducunt. Nos verò, vt hoc demus; cæteris tamen vniuersis si christiani esse velint, sobria mensa, habitatio, vestitus, citra molliciem, luxumque necessaria erunt. Et si inter ac mentarium patriciumque, vt nulla sit differẽtia non affirma/mus, ne omnia perturbare, atque confundere nos quisquam existimet, quicquid tamẽ differat nobilissimus ab infimo quo/que

que ex plebe; interdicta sibi certé quidem(vt ne errent)intelligere debēt & iste,& ille quæcunq; ab obseruantia euangelicæ doctrinæ disiūgunt. Quod puidere non iam oculis carnis,nec iuxta mūdi sapientiā prudentissimus quisq;, sed mens diuini luminis,ac christianç sapientiæ fulgoribus circunfusa potest. Mundi enim sapientiam (cuius decretis si vnquam certé,inde cùm inaudita Dei Patris gratia vnigenitus eius donatus est nobis,præter cętera institutor,& magister,si alias vnquam,in quam,nunc multo maximé acquiescimus) mundanam istā, ergo,sapientiam idem vnigenitus, doctrina, factis, exemplis reprobauit; aduersariamq; & inimicam Dei legi Paulus declarauit; nec non quicunque sancti, & docti in ecclesia fuere, condēnauerunt. Non ergo ab eius schola, sed á bene doctis, secundum euangelium potissimum regula honesté viuendi sumenda est.

SVMMARIA CHRISTIANAE VITAE INSTITVtio strictim exponitur. Cap. x.

AD HVNC igitur modum eruditus non multi referre intelligit, quo epulo corporis tueatur vita,cùm nutrire animum verbo Dei subinde curet,& contemplationem rerum diuinarum iucundissima cōuiuia sua esse constituat. Modò autem ab turpitudine,ac noxa,quocunque vestitu,qui facile parari possit,védicet se; huc totus est, vt omnimodis virtutibus nūquam nō instructus incedat. De habitatione porró idem sentit. Et enim cuius conuersatio, quantum fieri potest,in cœlis est,qui quotidie se hinc migraturum expectat,ac sperat,quem domicilium non manufactū sed incorruptum,æternumque apud Deum manet; hic cur magnopere curet terrestrem domum? quid marmore,auro, signis,tabulisque quaquauersum compositam amet? ac non potius eius generis palaciis latericiam anteponat? Cur differre á proximo suo studeat,aut excellere supra illum patiatur se externis hisce; qui cum eisdem naturæ dotibus, siue corpus, siue animum spectes,iisdém gratiæ muneribus, ac beneficiis, participem se constitutum á Deo omnium parente; etiam cōmunia sibi atque fidelibus vniuersis facta esse inuisibilia,& ineffabilia illa regni cœlestis bona ęquę nouit? Certó enim in

telligit verè Christianus vniuersa hæc, quæ decora vulgo habentur, vana esse, & ab his in vsum traducta, qui Deum, quiq; ad quem finem hominum genus sit constitutum, ignorantes, quæ sensibus, atque cupiditatibus arrident, dumtaxat nouere: vt non dicam artificium esse isthæc omnia immanissimi satanæ, quibus identidem innexos, sensimq; abalienatos à recta, in æternas ærumnas præcipitet. Nobilitas hostra, præstantia, honos, amplitudo, deliciæ, voluptas, decus: nequaquam in magnificentissimis ædibus; non in mancipiorum agminibus; non in varii generis vestimentis, serico, auro, gemmis artificiosissimè fabrefactis; non in conuiuiis sybariticis, ac luculanis; sed vt animus ad CHRITI legem vndecunque excolatur, ab ea efformentur mores, acta, verba, cogitatus nostri omnes; constituta sunt. Quod si ita habere christianum intelligitur, manifestissimum euadit, paucis indigere ad traducendam vitam, & nihil minus ad hunc spectare, quàm vt his parandis, summis curis, atque solicitudinibus irrequietis distendatur: pendentem semper illum ab vno omnium nostrum parente optimo Deo, verbis IESV CHRISTI confidentem: Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Laborat ipse quidem quando non aliũde honestè quo viuat, habet: sed citra noxiam, & infidelẽ curam. Sin verò locuples sit, siue ex maiorum hæreditate, siue aliorum largitione, siue aliocumq; iusto (quod aiunt) titulo; quod sibi suisque (iuxta quę explicata sunt) cum modestia necessarium videt, retinens: quod superest liberaliter, cum res poscit, impertit. Neque enim in eam minimè christianam animi inductionem se traduci pmittit, vt omnia anxius filiis thesaurizet; immensas dotes vt nupturis filiabus paret, improbissime noctes atque dies contendat; sed liberis vniuersis, quæ sint veræ diuitiæ, indicans, eosque inter alia salutaria docens opum atq; fortunarũ istarum, quas habet, non esse se dominum, sed dispensatorem á Deo constitutum: exposita omnia præsto habet in proximorum vsum.

Matth. 6

CVM NON SINT DIVITVM DIVITIAE, QVID illis sit facto opus, ex Diuo Paulo, Cap. XI.

INAVDITA hæc quidẽ à me dici videntur, & quæ probet, ausim dicere, nullus ex his, qui in auro acquiescunt. Sed tergiuerſetur, torqueat ſe quãtum velit diues meus, noſtrę nõ ſunt diuitię iſtæ; ſed illius Domini, cuius eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo. Audi per alium vatem, quid idem Dominus dicat: Meum eſt argentum, & meum eſt aurum. Et rurſum per alium: Et hæc neſciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Quod bene ſciens Diuus Paul. & immania pericula pertimeſcens opulentiorum, nollens vt in ea præcipitarentur; Præcipe (inquit Timotheo) diuitibus in ſæculo, vt ne ſuperbè ſentiant, ne'ue ſperent in incertitudine diuitiarum; ſed in Deo viuente, qui ad vſum omnia nobis ſuppeditat affluenter: vt benefaciant; vt per bona opera diuites fiant; vt faciles ſint ad impertiendum; communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum, vt æternam vitam aſſequantur. Audin' monita, atque adeo iuſſa ſanctiſsimi apoſtoli: in quo reuera CHRISTVS Dominus eloquebatur? Quàm mihi hic latus ad dicendum campus aperiatur contra eos, qui contrariam omnino animoſi, doctrinam ſequuntur, intelligo verò: ſed alibi plenius. Nunc tantiſper, (cuius gratia hæc Paulina verba adduximus) paululum expendere iuuat quod ait: Communicare opus eſſe diuitibus. Hæc enim (vt ita dixerim) ardua cautis, ſyrtis occultiſsima, atque adeò immaniſsima vorago eſt, qua abſorbentur opulẽti. Putat hic, atque ille diues, cum per annum, menſem hebdomadam vel diem etiam nonnihil tribuerit, abundè ſatisfeciſſe, atque licere ſibi pro ſua cupiditate in numeroſis præterea opibus ſuo arbitratu conquieſcere; ſed in maximo diſcrimine eſſe ex hoc verbo palam eſt. Admirare? Sed quod admireris ego quidem certè non ita mirer, poſteaquam in his pluſquam Cimeriis tenebris degitur; cum radiis ſanctiſsime voluntatis, legum, doctrinæ Dei Optimi Max. obſtructa ad animos chriſtianorum nunc adita habentur. Quid ergo eſt Communicent? Sunt, qui id de congreſſu, atque conſuetudi

Pſalm. 24

Aggei. 2.

Oſeę. 2.

1. Timot. 6

sic illorum comi cum cæteris interpretentur. quasi eos velit, S. apostolus perhumanos esse: & quos alii adire non vereantur. Sed qui velit, huic sic per me accipere liceat. Ego verò qđ ad apostolicam mentem magis accedere videtur, cum Diuo Ioanne Chrysostomo dicam. nempè eo verbo declarare uoluisse, quo animo constitutos esse oporteat diuites ipsos erga diuitias, quas eis tribuit Deus, eorum gratia, qui egeant. vt non parum quiddam de grandi thesauro proferant; sed ampliter eleemosyna vtantur: cumulaté inquam, ac manu larga, cum id postulárit indigentia fratris. Quid enim est communicare, nisi facere commune? Commune autem fit, quod habetur, cum alii sit potestas, vt inde itidem habere posit accipiendi, quod vsui sibi futurum sit. aut si mauis, dum ab egente requirimur, perbenignè, quod illi sit opus, impartimur, siue illud sit parum, siue multum. ea tamén conditione, ne cũ ita communia, quæ in nostro dominio sunt, facimus, improbitate sua velit is, qui indiget, sic inde sibi large tribui, vt quasi æquo iure nobiscum id facere posit; atquè adeo nos detrimẽtum patiamur. non enim, vt hoc faciãt diuites præcipere Diuum Paulum censere debemus, qui alibi ad hunc modum de

2. Cor. 8 finit, proposito Seruatoris exemplo. Non enim (inquit) vt aliis sit remisio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat; vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementũ. Confirmat autem hunc sensum in verbo apostoli sui Domi-

Luca. 6. nus dum in euangelio dicit: Omni petenti te tribue. Sic enim nos inter nos affectos, atque cõpositos vult esse ille, qui se nobis, & omnia sua elargitus est; cuius vniuersi pro varietate bonorum, ac gratiarũ, eius dispensatores constituti sumus: vt non minus commodo esse aliis, quám nobis ipsi studeamus: in qua re (vt omnium maximé) vexillarius ipse sanctisimæ dilectionis (Paulum dico) asiduus est, ad quem remittimus.

✠

SED

NON OPES MODO, SED ET VITAM PRO FRA-
tribus exponenda, ex Diuo Ioanne Euangelista.
Cap. XII.

SED quid anxié demonstramus expositas esse debere proximis fortunas nostras, imò vero Dei, qui illas commissas nobis voluit, si tamẽ cum fructu in CHRISTI ecclesia esse volumus: quando etiam, & pro iisdem, vt vitam profundamus, ipsius Dei nostri est volũtatis? Sic apud Ioannem Euangelistam in epistola legimus; (vt hoc vno nunc tantisper testimonio contenti simus) In hoc cognouimus (ait) caritatem Dei, quia ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere. Sed quod adiungit addere iuuat; Qui verò habuerit substãtiam mundi, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Expendẽda enim penitus est ista breuis enũciatio: *clauserit viscera sua*: sacri Euangelistę. qui per totam vitam suam caritate flagrãs vsq; ad extremos spiritus in pectora discipulorum, vt firmiter figeret illam, incubuit. Viscera enim eleganter, & peculiari sanctarum scripturarum phrasi significare intelliguntur geminum illum, atque intimum cordis affectum, quo naturæ inductione quanta maxima fieri potest beneuolentia alium prosequimur. Iam qui CHRISTI fidem rite amplexus sit, naturali illi propẽsioni gratia cõsociata, is vt ad amandũ affectu sit incorruptior, ita vehementior euadit: & qua potest in beneficentiæ officia summa cum liberalitate intentus est. quod quidem vbi contingit, id habere aperta viscera non absurdé intelligitur; vnde ceu á fonte dilectionis multimoda effecta deriuant. Nouit enim, qui huiusmodi est, benignissimam esse Dei voluntatem, vt non tám verbo, ac lingua, quàm opere, ac veritate amet fratrem suum: non vt ipse in summa rerum affluentia viuat; ille autem in ipsius necessitatibus parcissimé opituletur: sed perbenigné, ac liberaliter. Itaq; quemadmodum, qui ita re efficere studet, non iniuria amare Deũ, atque aperta habere viscera erga proximum censendus est; sic qui auaré minimum quiddam tãtisper, aut forte nihil ex amplis fortunis pauperi tribuat hic clausis visceribus in fratrem, Deique amore expers esse aperte declaratur. Sic igitur (vt ad nostrum

1. Ioan. 3.

Genes. 43
3. Reg. 3
Isaiæ. 16.
Lucæ. 1
philip. 1. 2
phil. 1.

nostrum institutum me referam) constituta est ô bone politia, ac Resp. non Platonis illius, qui insulsa quædam, ac nefaria commentus, quæ sibi sapientissima, atque honestissima videbantur, nullum vnq̃ inuenit populum, qui sese quereretur: non huius ergo, aut alius præterea ita constituta est politia; sed CHRISTI, & christianorum nostra inq̃, qui non in huius vitæ, quæ videntur, bonis; sed in futuris, quę fide expectantur, beati, ac felices perpetuò esse contendimus. Plura autem diuitum, ac diuitiarum nomine, quæ hic facerent, dicenda essent; sed cum multa satis dixerimus, ne nimio cursu orationis, tædio simus; his quæ diximus hic modus erit, vt ea, quæ restant, recreati aliquantisper, ab alio principio differamus

DE LATISSIMO AVARITIAE DOMINATV

LIBER II.

PRAEFATIO.

QVAMQVAM multa nobis iam dicta esse lector intelligis, ex quibus non fundamenta modo propositi nostri iacta esse, verumetiam ex quibus prudens quisque, nocentissimam habendi cupiditatem dominari inter nos, colligere facile iam possit; cum tamen multi vel reuera, vel studio ac dolo malo fortasse, haud dum isthæc se videre dicere possent: agedum, qui omnibus quã datur, prodesse cum Dei gratia cupimus, ad eandem causam explicandam magis, atque confirmandam, propius nos referamus. Non ad pompam scribimus, neque vt doctis, & ingeniosis placeamus, sed vt hac nostra qualicunque tractatione persuadeã tur, qui hic errant: & siue docti, siue indocti sint, qui hac ægritudine laborant, illi detergendæ medicinam salutarem percipiant. Sapientibus, & insipientibus, aiebat egregius ille vniuersi orbis doctor, debitor sum: cuius verba, & affectum cũ primis si mihi sumam, non temerarius, atque insolens mihi videbor. Nam vt ei diuinissimo viro, doctoris summi, eximiique inter omnes prærogatiua in Ecclesia, non à me modo (quid enim me dico; nullo numero, nulla dote?) sed etiam ab vniuersis, vt par est, facilè concedatur; nulla tamen inuidia erit, opinor, si aut alius, aut ego, qua ratione possit in rem esse fratribus ad eius exemplum contenderimus. Inuicem membra sumus, & mutuo nos iuuare maximè decet. Itaq; & quę iam diximus huc cum spectent, referentur etiã, quæ post (Deo iuuante) differemus. Vtraque verò, vt boni sint consulenda non diffiteor, neque id modo, sed cum fructu etiam, vt percipienda sint confido: in tantum adeo, vt non odium, sed gratiam Rom. 1.

tiam promeriturum me sperem:quam tamen quanta quanta futura sit,ad Auctorem bonorum omnium relatam maximè velim. Quemadmndum graui morbo decumbens, cum per eum interquiescere,atque ad mentem redire licet, beneficium atque operam medici,amicique,qui se variis remediis eripere à calamitate incumbunt, non agnoscere gratus non potest; quæ certè dum intemperie mali exagitatur,detestatur, abiicit: sic non omnino insanus,& si grauiter animo langueat,cũ tamen sedato morbo,sericè quæ ad se sanandum adhibentur, considerat: deamet necesse est salutis suæ studiosum. Perinde enim atque in corporibus,sua in animis interualla ægritudines interdum habent. Sed ne his prolixius commemorandis venditare me velle existimer,sequamur iam orationis nostræ filum.

DEMONSTRATVR APERTIVS AVARITIAE DOminatus *ex actibus tenuiorum quotidianis,* *Caput primum.*

QVID ergo est,quod speciatim demonstrandũ, ac magis declarandum præter cetera nunc primum habemus? Occupare videlicet tantum non vniuersos luem auaritiæ, & hoc tartareo amni transuersos agi. Reducamus verò ad memoriam regulam illam,quam in precedentibus diximus,ad quam,ceu lydium lapidem,quisquis sese cõponat, sanus ne an æger sit, non ita difficile intellecturum esse pronunciamus. Ecqua illa est? Hæc nimirum: Si quod animo decernere,opere'ue efficere haud vereatur homo, qua ratione cumque lucri gratia,quod contra Dei leges esse intelligitur,auaritia laborare hunc indubitatò affirmamus. Vt vt rem ita se habere verbis negetur,in argumentum facta inducenda. Iam his producendis intenti sumus.

Principiò, vt de tenuioribus dicam: vnde est rogo, quòd totos dies sic intenti sunt ad negocia & artes? ad labores, operasque? Quantula diei pars est,quam Dei honori augendo, eius beneficiis agnoscendis,gratiis agendis, animæ secundum christianas virtutes efformandæ,impêdant? Hoc etenim quærere est regnum Dei,quod is potissimum à christiano deposcit. Siquidem à somno ac lecto exiliêtes,vix ob murmurata

ter, aut quinquies oratione dominica, non tam affectu ipso, atque pio animi iudicio; quàm vsu quodam potius (ut ne vel tantulum hoc à multis negligi commemorem) ad suas lucri officinas de repente se conferunt; instrumentis manum admouent; totique illic abdunt sese. Iam per totum diem sic occupati, distracti, laboribus nec non oppressi, vbi cibum sumpserint; ferè vt belluæ facta nocte dormituri, citra vllam dignam rerum animæ memoriam, in cubilia cõiiciunt sese; vino plerunque, somnoque obruti stertentes iacent: vnde renouati, ad idem, simulac lux rursum aduenit, regrediuntur. Atque (vt alia quamplurima ommittam) vnde artificia illa, non virtuti, atque honestis vsibus consentanea, sed vitiis, ac turpitudinibus subseruientia? ornamentorum? fucorum? vnguentorum? tesserarum? chartarum? & sexcentarum id genus præterea rerum, quibus quamplurimi distinentur amentes? Amentes aio verò, ac stultissimos; qui ludis, ludibrioque dignissimis hisce rem, tempus, quod inter omnia quam fieri posset, honestissimè transigendum est; cum anima sua ipsorum pessum dant. Sed innumeras inter hæc artificum, operariorum, atque negociatorum imposturas; fallacias, peruersitates mihi reputa. Timent fortasse incontaminata adulterare? formidant putria, situ, carie, tineis obæsa pro integris obtrudere? Verentur fingere mera mendacia? Religioni habent mentiri? deierare? peierareque adeò, modo quicquam corradant, pertimescunt? Omnia inuerecundè, impunè. Et quidem ille prudentior habetur, qui vesperi, licet sexcentis eius generis execrandis modis, tanquam sagittis animam suam ipsius confixerit, plus nummorum domum asportarit. At si parum, nihil'ue lucri accesserit, atque adeò nonnullum damnum acceptum fuerit; quid agunt ista cupiditate comprehensi? Inquieti dolore, atque impatientia, consistere non possunt. nemini non acerbi, amarulenti: quicquid dicas, quicquid facias, bile efferuescunt. Lamentantur, cruciantur inuidia erga cæteros, quibus dextrè succedunt res. Obmurmurant, maledicunt, & (o indignum facinus) Deum in ius tantum non vocant. Cur (aiunt) ò Deus, illi & illi tam cumulatè influi diuitias sinis, me vero ne obolum quidem? fastidium mihi, horror, dolorque perstringens, ne dum hæc commemorare, sed vel reputare. Mitto occulta latrocinia, rapinas, furta. Palam enim nõ diuinæ,

Vide Diuum Io. Chrisost. Hom. 50. in Matth.

ſed imperatoriæ potius timentur leges. Eant ergo iſtiuſmodi (quæ non minima turba eſt) & auaros ſe eſſe negent; neque ad lucra immoderatione ſe vlla ferri contendant. Solem tenebroſum, ac nigram niuem magis dicam, quàm hæc effecta ab animo experte auaritiæ proficiſci.

DEPLORATVR INDIGNITAS MORBI VNIVERſalis auaritiæ, cui etiam diebus ſacris incumbitur. Cap. II.

HAEC peſsima, in ciuitate ipſa, in ſuburbiis, pagis, villis & cunctis vndiquaque circumſidentibus regionis noſtræ finibus, in vniuerſum fieri cernuntur, vt ſæpenumero ea contemplatus mecum maiorem in modum indoluerim; néque raro hac cauſa in lachrymas fuerim ſolutus. Sic verò apud me dicebam: Quid eſt, quòd tanta nos demẽtia agimur? qui & ſi corpore premimur, immortales tñ animos munere Dei mirifico habemus, qui cùm rationis, & voluntatis potentia, tùm cœleſtis parentis inaudita gratia, ad maiora nos multò, quàm quæ vniuerſa creata ſunt, natos factosque, nempe ad regnum æternum perfruendum, agnoſcimus, qui incredibilis bonitatis Dei innumera propè beneficia conſequuti, & in ſpem meliorum aduocati etiam ſumus. Nos igitur, quid (malũ) eſt, quòd his omnibus poſthabitis, in corporeis rebus, terrenis hiſce fluentibus, euanidisq; in tm̃ inhæremus? acquieſcimus? Hæc verò ita eſſe, quæ videntur, nempe vana, inconſtantia, & nihil planè, quotidiana experiẽtia tangimus. Mortes frequentes, ac variæ ſubinde harum miſeriarum nos admonent. At nos perſtamus, in hæc inhiantes. Scimus immunem à morte neminem: ſed cum hanc vitam viuamus, arguimur nos perſuaſos eſſe, hic donatos immortalitate. Heu me inquam, quòd hiſce modis viuere pergere chriſtianos cernam. Quæ intemperies, lues, morbus, atque pernicies vſque adeò abſtulit mentem; vt tanta peruerſitate viuat populus meus (mitto alios in præſentia) populus inquam meus? Non ille barbarus aut ferus: vt quidam temerariè, ac falsò appellare auſus eſt: neque qui recens Chriſto Imperatori omnium Maximo nomen dedit; neque qui, quæ ſit vera chriſtianorum politia, vſque dum ignorauit; neque

que qui doctoribus, atque institutoribus eximiis caruit: sed contra omnia. qui extra barbariem omnem, ac feritatem; qui sub ipsa ferè Apostolorum tempora religionem christianam amplexus est. qui semper eruditores, magistros, eosque vndecunque ascitos, vt præstantissimi, atq; optimi poterant, præsto habuit: & hunc tamen in tanta perturbatione, & indignitate viuere, negari non potest. Ecquem ista non commouere possunt? Sed vide altius malum. Non contenti modis his, quos diximus, profestis diebus abuti; ad sacras ferias manus etiam mittunt. Nam quæ per illos dies, aut non vacat, aut non est animus transigere (ne lucro continuè percipiendo impediantur) ea in dies sacros reiiciūt. In his enim, hic ad calculum operas suas obitas adducit; ille paciscitur de sequentibus: hunc cernere licet commercia cum alio ineuntem, atque vt mercedes suas exigant, non parum multos ad dies festos reseruare: in qua re, & mercenarii ipsi, & illorum conductores, rei deprehenduntur. Infinita quid frustra persequar, quæ diuinis diebus obeunt? adeò vt nihil Deo, nihil saluti animæ, sed totum ad rem acquirendam tempus per istos addictum sit? Impios quis hic eos esse non videt? sacrilegos? auaros?

Diuorum nō pe Nazarij, & Celsi pre dic.

AVARVM INFIDELEM ESSE, ET *insipientem.* Cap. III.

NEC mihi contra hæc quisq̃ prætexat. vt nihil aliud; dierum festorum hoc pacto profanator qui est, conuincitur omnino esse infidelis. nam & auaritiæ præcipuam radicem esse infidelitatem, multi ante nos docuere. Quòd si non nisi rationibus persuaderis, accipe. Deū ne esse fateris heus tu? Ais. quid ergo? Nonne cuncta prouidentia administrat? Affirmas scio, ne Epicurus quispiam, siue ex eius familia aliquis videaris. Cum ergo omnium, quę condidit curam sapientissimè habeat, quanto magis nostri? Vestri autē & capilli capitis (inquit) omnes numerati sunt. *Matth. 10.*
Si ergo nos maximè Deo curæ esse in confesso est, atq; vt in se vnum spes nostras vniuersas constituamus ille vult: tute verò nihilominus cupiditate impotenti concitatus, non dico superfluis, sed necessariis etiam cōquirendis solicitissimus

incumbis,quæ maior demonstratio afferri possit,vt copuinfcaris esse infidelis? Cum animam,atque corpus suapte bonitate tibi dederit,minimè eum daturum tibi vtrique necessaria credis,interim dum tu immani isto studio, contra ipsius voluntatem,ac doctrinam comparare illa contendis. Sed ineptum me qui rem clarissimam illustrare pergo. Ne dũ ab infidelitate,sed non minus ab insigni insipientia, emanare auaritiam animaduerte. Vt vniuersorum prouidētiam Deus habet,ita omnia potest,atque cuncta,vel mera (quod aiunt) voluntate,vel eius permissu efficiuntur: inuito autem illo omnino nihil. An non ergo cum infidelitate auarus etiam est stultissimus,qui perficiundis appetitionibus suis totus intentus est? cuius tametsi conatus non reprimat Deus, sed vt sequantur permittit,nihilo tamen minus si finem suum consequi nolit (quod frequentissimè bono nostro facit) non'ne in uentum omnes labores, studia & contentiones dissipabuntur? Vide mihi in plantis,& arboribus (vt triuialibus exemplis vtar) administra altissima,generalique prouidentia sua Deus, solo,humoribusque opportunis, eis prospicit. vbi etiã augeri illa conseruarique decreuerit,ab intemperie cœli, à nocentibus belluis,& quarumcunque procellarum noxa tutatur. At si durare illa nolit,continuo,quæ vix dum nata ea depascant,animalia immittit: vltro incitat syluarum cæsorem, qui nulla mora securi proceram arborem frondentem, & vndique comantem humi deiicit,aut commoto repente turbine,annosam quercum altissimè fixam radicibus, euulsam è vestigio ingenti fragore de monte præcipitat. Cerne cuniculos,lepores,ceruos,damas,onagros: volente quidem omniũ conditore,& conseruatore,securi, intacti per agros, nemora, syluas,montes,valles liberè pascentes exspaciantur; ad fontes,vt lubet inoffensi accurrunt. Iam si secus constituerit idē, nulla mora sese in laqueos induunt, captique farciendi coquis reportantur. Iustissimo igitur, quamuis occulto iudicio suo,si te noluerit,ad quæ capescenda auidus perquàm feris,consequi: disposueritque te in egestate degere, neque ita multum etiam superuiuere, quid te promouere posse confides contra illius arbitrium? Cuncta enim cum velit ipse, secundo ferri cursu: contra,si abnuat, in cassum cadere necesse est. Nolim autem hic me quisquam fatalem necessitatem introducere putet,tollere autem contingentiam in rebus, & in

primis libertatem nostram, consilia deliberationes, virtutes, ac vitia proinde. Minimè hoc nos intendimus, ne cum philosophis, atque hæreticis nonnullis deliremus: sed miro, atq; ineffabili modo, tametsi liberi nos sumus, vel cedentes, vel cōtra euntes benignissimę Dei voluntati, tamen quod ille vult semper nos facere, nec ab eius reconditissimæ sapientiæ præstitutis ordinibus, vel latum vnguem discedere vllum, quod creatum sit, affirmamus. At de hoc necessitatis, & contingentiæ argumento, cum ad altissimam speculationem id pertineat, non erit hic plura dicendi locus: alii, qui multi, de hoc disquisiere, fuerint consulendi: nos ad id quod dicebamus, conuertimur, nimirum insipientem etiam probari, qui tam anxiè conatur, maximè cum apertam habeat sibi aduersantem ipsius Dei voluntatem. Vel in hoc apertissima fit hæc stultitia cupidorum, quòd non vident se maximo diuinæ vltionis periculo expositos, qui in oculis eius omnia perspicientis, pergere facere non verentur, quod ille vetat. Quid quæris? Et exempla non desunt stultorum istorum, vt frequētissimè, atque miserrimè spe sua destituantur. Sunt qui, cum incredibili continentique labore propè vitam detriuerint, minus tamen, quàm ante, rerum habeant. Sunt qui à parta pecunia, cum se quiescere, deliciarique arbitrarentur; rapina, siue depopulationibus, incendio'ue, aut proscriptione confertim omnia amisere. Porrò mortem sæpenumero inopinatam, omnia euertisse auarorum hominum inania studia; stultos & infideles illorum labores irrisisse etiam certi sumus. Ex aduerso autem iucundissimè viuere ex his qui in diem viuāt illum, qui hisce noxiis angustiis, cupidinibus, & spinis non detinetur. Simul ac enim pane, aut nescio quo adiuncto (quæ sine contento studio, atque citra animi angorem honesto, ac necessario quopiam inculpatæ artis vsu facile sibi familiolæque compararit) naturæ fecit satis, nulla molestia, aut mœrore affectus, quòd auri aceruos haud lucratus domi habeat: iucundè cantillat, festiuus cum suis, & externis præterea degit: nullis curis, mox somno securus se dedens, dulciter in vtranq; indormit aurem, quo pacto cunque discrucientur in terra auari.

EX ABVSV SACRAMENTORVM, ATQVE ex sermonibus prodi etiam auaritiæ dominatum Cap. IIII.

CAETERVM, vt ad inceptum nostrum referamus nos, habemus præter quę dicta sunt euidentem sanè quam auaritiæ significationem & notam: etiam illud, videlicet, cum statis, ac solennibus temporibus non tàm piè inuitentur, quàm etiam saluberrimis præceptis agantur, vt rebus spiritualibus intendant: vt scilicet confiteantur peccata sua iusto cum dolore, & conscientiæ sordes omnes integra pœnitudine diluant: emundati autem, piis interim actis intenti, moxq'ue cum Dei gratia pro sua virili aptati, sacrosancta, ac tremenda mysteria corporis, & sanguinis Domini, incredibili cum fructu percipiant: vt consecutã eam vtilitatem, dein spiritualibus etiamnum inhærendo rebus, auctam conseruent: nihilominus iniquitate, ac peste ista istos infelices dementatos videre licet omnia præposterè exequi. Saltem quidem vt semel in anno, in Paschate nimirum, fidelis quisque confiteatur, atq; sacratissimam sumat Eucharistiam, pontificiæ leges iubent. At facinus indignum facere hi præ se ferunt, si bis istud efficerent. Quin inuiti, restitantes, coactique (quid ni dicam?) ad ipsos postremos dies sub ipsum Paschale festum redigunt sese; parum nihil'ue fortasse, quantæ molis sit vera confessio, & pœnitentia cogitantes, sacerdotem adeunt, idque importunis horis, inuerecundè, nulla mora audiri petunt, expedirique (vt dicunt) vt mox possint ad operas, ac negocia sua absque iactura reuerti. Quid de ea pœnitentia censes lector? vt frugiferam sibi, vt Deo esse gratam arbitrare? Atqui ad hunc modum confessi, communicare perinde pergunt. Quid præterea? vix enim diem illum omnium sacratissimum, quieti ac continentes peragunt, si peragunt tamen: mox neque quid fecerint, neque quid Christianos agere oporteat, diuinissimis sacramentis participes effectos, reputantes; ad amatas lucrandi operas se conferunt. Complures existimo: nisi vererentur digito demonstrari, ac publicè notari vt infideles, etiam vnicam confessionem, communionemque contemnerent. At pudore hominum coercerentur,

Extra, de pœnit. & rem. ca. Omnis.

rentur, qui cum Deo ita nefariè, impudenterque se habere non timent. Quanta hæc peruersitas? Quantus iste latissimè patens abusus? Ecquæ denique clarior significatio, quòd auaritia dominetur? Eius enim hi pestilentes sunt fructus. Ipsa, vt Deus, vt cœlestia omnia contemnantur, efficit. Vin' etiam videre manifestum auari argumentum? Ex abundantia cordis os loquitur, ait Dominus. Et, Bonus homo de bono cordis thesauro profert bona: malus autem de malo cordis thesauro profert mala. Rursum: Quo modo potestis bona loqui cum sitis mali? Vade itaque mihi per forum, per plateas, per domos cum priuatas tum publicas (vt ne commemorem etiam sacras ædes) iter fac terra marique, quid audis cum primis ex obuiis quibusque hominibus? Nihil sanè nisi verba, quæ cuncta prope veluti in scopum (vt vno verbo dicam) in lucra referuntur. Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Quid? & lingua ibi vt sit necessarium est.

Matth. 12

Matth. 6

CIVITATIS HOMINES IN PAVPERES AC DIuites partiri; *hos vero mutuam inter se operam præstare auaritiæ. Cap. v.*

ALIA sunt, quæ ad hanc calamitosam conditionem etiamdum prodendam dicere haberemus, sed satis esse, quæ commemorauimus, arbitramur, vt tandem se languere ea ægritudine agnoscant, præsertim qui tenuiori in re vitam ducunt. Licet enim bona pars eorum quæ dicta sunt, etiam opulentos coarguat, speciatim magis tamen ad inferiores pertinent: quibus omissis, cum locupletibus ipsis nunc nobis generatim agendum; demonstrandumque communi eos cum tenuibus morbo confectos esse, ac peius multò fortasse habere. Non absurdè autem nos facere arbitramur, si multitudinem vniuersam incolentium ciuitatem, ac ciuium, ad duo hæc genera referamus: alterum tenuium, alterum vero diuitum. Nam & in hunc modum á sapiente illo mundi, in communi degentes homines distincti habentur, in his libris vbi de varietate regendæ multitudinis pertractat. De priore igitur cum dixerimus, de altero nunc genere pertractemus. Ac primum quidem illud animad-

Arist. Polit.

maduertere decet; optimè dictum esse multitudinem homi num, qui sub iisdem legibus, ac moribus viuunt in vna regione, perinde esse atque animalis viuum corpus, distinctis ac variis membris constans, quorum differentes tametsi sunt facultates, & officia; ad integritatem tamen, & conseruationem ipsius vnius corporis omnia contendunt, ac mutuò quodque pro se, nisi extranea vi contineantur, adiuuant; nec aliud alii quantum ex se est, vt officiat vnquam inducetur. Quòd si contrà aliqua causa fiat, sensim dissoluente se harmonia, & admirabili illa membrorum consensione, labefactatur totum corpus, & durante dissensione tandem corrumpitur. Itaque vt incolume duret, duret etiam inter ipsa membra naturalis illa vis nexusque mutui adiutorii, oportet. Quando ergo cùm natura, tùm Dei lege connexionem habeant & diuites & pauperes, quippe qui vnum genus vniuersi, vnum principium & causam tàm conditionis, quàm reparationis habeamus; alia quoque interea necessitudo accessit, nempe quòd rerum ad vitam necessariarum gratia coniunguntur. Addicti namque ob peccatum originis ad labores, quo vitam tueamur, mutua omnino opera indigemus, ita vt quod minus hi possunt, alii eorum vices ac defectus, præstent, & adimpleant. Quare nunquam diuites commodè viuant citra tenuium adminiculum, neque item isti, si non manu atque ope eorum fulciantur. Longum nimium esset dicere, quàm multiplici ratione, & quàm innumeris penè modis hoc peragitur: in hanc autem mentionem idcirco deuenimus, vt declararemus, quem ad modum ob supradictas rationes diuites & pauperes coniuncti cernuntur; ita pestilentis cupiditatis nomine, maximè inter se componi fœderarique, & aliis alios materiam huic flammæ alendę sufficere. Sed enim quantum laude dignum, ac salutare est in promouenda virtute mutuis officiis nos adiuuare, consentireque; tantum perinde nocens, & dignum conuicio, in scelera conspirare. Quo pacto ergo (roget aliquis) se mutuo adiuuat diues ac pauper in hoc malum? Audi, quę partim commemorare nunc velim, vt multa hinc aliis ex se consideranda relinquantur. Lasciuiam, libidinemque hominum pecuniosorum contemplantes inferiores, vt insatiabilibus eorum cupiditatibus (qua possunt) morem gerant, ac veluti escam voraci ingerant, innumeras illas species formasque tum in

vesti-

vestibus tū in cibis, tum in ædificiis subinde obtrudunt; ac cō tinéter noua cōmenti, prioribus prætermissis; posteriora, quę admirandis compositionibus, & artificiis leues, ac mundanas mentes ad se alliciunt, inducunt; in quibus distrahendis, vt hi, qui ea vendunt, identidem lucrantur, ꝙ maius ex his precium, quæ ingeniosiore, & elegantiore arte construunt, exigunt; sic ipsi, vt ad ea sibi pro libidine comparanda sint pares, modos lucrandi alios atque alios adinuenire student. vnde fit, vt cum tenuiores his artibus maxima ex parte exhauriendis diuitum marsupiis, hi vero illis implendis intéti sint, omnino ad incendendum auaritiæ caminum vtrique consentiant. Quis hoc sanus non videt?

IN QVIBVS PARTIM CONVENIANT DIVITES, *ac pauperes in cultu auaritiæ, in quibus partim differant.* *Cap. 6*

SED iam explicemus magis proprias notas auarorum diuitum, commemoratis prius breuiter his, in quibus vtrique feré conuenire cernuntur. Exempli causa: conueniunt quidem quòd in lucra ambo toti feruntur neglectis animę bonis: quòd mendacia struunt, imposturas exercent: quòd deierationibus, non taró periuriis vtuntur; quòd conqueruntur, inuident: quòd sacras, & studiosas actiones, loca, tempora fortiter contemnunt: quòd nisi mercimonia, aurum, nummos, lucra non loquuntur. At veró differunt vt plurimum: quandoquidem tenuiores multigenas artes, quæ potissimum manuum, totiusque corporis labore ac defatigatione perficiuntur, in vsu habent. Diuites veró ad negociationes, commercia, frequentissimi sunt. Illi vna in regione feré tantum diuersantes, occupantur; hi sæpissimé terra marique discursantes, satisfacere inexplebili cupiditati operam nauant. Quinetiam schedis literisque, vno in loco habitantes, ab extremis mundi oris negociando, ingentia lucra reportant. Quam ob rem princeps, generalissimum, ac dexterrimum locupletum instrumentum est, quó facultates, fortunasque augeri contingit suas, negociatio: modos cuius ac formas quis facile referre valeat? quantum hic ingenia mortalium detinentur? Vtinam æqué ad

etiam apud philosophos,ac probatos sanosque cuiusuis reli gionis homines,in lucro finem negociorum constituere, nō carere turpitudine probatur, quod ea intentio ab auaritiæ cupiditate,quæ nunquam satiatur, intelligitur proficisci. Quód si nullis adiunctis circunstantiis, quæ actum ipsum commaculent,lucrandi propositum simpliciter ignominio/sum,ac turpe iudicatur; quid iam dices,vbi tot iniqui dam/natique modi,ac circunstantiæ aliæ turpes ei accesserint? Nam eatenus excusari intentionem lucri,ac corrigi posse vi/detur,quatenus per sua negocia homines rebus necessariis, cum priuatis tum publicis commodè prospiciant,efficiantq; negociando,vt ne sibi,ac suis honestè necessaria desint; habe ant vero deinceps,quæ ad pios vsus (nam & hoc etiam intē/di inculpatè fatentur) impertiri possint. Hoc sanè modo ne gociatio lucri causa istituta,ac moderata,ab improbitate vin dicari existimatur . secus verò nemo sanus,ac bonus excuset.

MVLTOS FALLI, QVI HONESTE SE LVCRA *sectari per negociationes dicunt.* Cap. VIII.

I*TAQVE* multòs scio, si percuncteris, quam ob rem lucrari per commercia intendant, cō festim responsuros,non auaritiæ gratia, sed vt sibi suisque prospiciant; vt in gradu suo viuere consistereque,vt filias pro sua dignita te,ac maiorum,matrimonio iungere, & his cognata (vt mòx dictum) perficere commodè possint. Ve/rum si ad viuum explorare scireque eiusmodi vocum, & ser/monum veritatem voluerimus,congruum erit dicere cū Pro pheta: Diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Vana lo/ *Psalm.* 11. cuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde,& corde locuti sunt. Lingua,& in superficie hęc profe runtur,sed vana sunt ea verba,mendacia videlicet, quæ mor bum cupiditatis penitus insidentem non tam cælant, quàm produnt. Ac considera Prophetæ dictum: in corde,& corde. Quid ergo est? Duo ne corda habere potest homo? Haud docet istuc philosophus vllus; neq; adeò solertissimus quis/que ex medicorum officina anatomicus, aut inuenit, aut di/xit.Sed à sublimiore multò philosophia nostra sic habemus. Docet nos cum ipso Propheta,præter alios in philosophia,

natio,& in profanationem diuinarum ædium solum illud factum interpretari potest; manifestius fit speciatim negociationem condemnari, cum per alium euāgelistam dicit: Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autē fecistis illam speluncam latronum. Quam in altero domum negociationis, in hoc latronum speluncam vocat. Quid hac in negociationem, ac negociatores accusatione expressius? Quamuis alioqui ad cultum Dei ea tum commercia referrentur, latronum tamen instar eos esse, qui in ea incumbebāt affirmat. Homo mercator (ait non vsquequaque malus inter Ecclesiasticos scriptores) vix aut nunquā potest Deo placere. et ideo nullus christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, proiiciatur de ecclesia Dei. Durissimè dicta quidē sed tamen vera cēseri possunt, propter ea quòd innumeris facinoribus negociatio commaculatur. Audi Diuum Augustinum: Negociator auidus acquirendi, pro dāno blasphemat, pro preciis rerum mentitur, ac peierat: quibus addas licet, quæ abundè satis à nobis supra cōmemorata sunt. quæ quidem omnes, vel certe ēarum plurimę notæ, cum in nostris negociatoribus clarè discernantur, nullus eis relinquitur tergiuersandi locus, aut negandi se auaritiæ durissimam seruitutem seruire.

Lucæ. 19:

In Matth. in certo interprete.

Augustinus.

NEFARIA STVDIA NEGOCIATORVM ANNONÆ *strictim refetruntur.* Cap. X.

NEC vero tacendum existimo indicium illud insigne auari animi in negociatoribus annonæ negociū cum primis obeuntibus, qui præcipua illa emunt venduntque, videlicet frumentum, vinum, oleum. Nam vt ipsi prius emere quam vilissimè, sic venundari postea quanto maximo precio possunt, perquàm student. Vt hoc verò obtineant, ingenium omne conferunt. Coacernant quacumque parte possunt illa, construunt horrea, caueas, cellaria fodiunt, ædificantque lacus amplissimos, vbi reclusa contineant ea. Nec prius exposita volunt, quàm alii huiusmodi res, qui pecuniarum indigentia tamdiu eas retinere non possunt; vendiderint. Qua ex re plerumque fit, vt facta caritate, atque adeò adiuncta penuriā consumptis aliis: ipsi sua

demum

afferunt: exempla commemorant multorum, qui cum ab hoc facinore non abhorreant, pii tamen habeantur. Verùm nos errare istos non solum ex his quæ iam diximus, verum etiam quæ præterea dicturi sumus, Deo dante, non difficilè demonstrabimus: non tam nostra, quam quę Ecclesiæ magistri, & Christianæ politiæ moderatores sentiunt, adducentes. Iam pridem non semel constitutum est lucrandi propositum à bonis omnibus criminari, carere tamen vitio posse videri, cum honesto aliquo fini corrigitur: finem autem hunc turpitudinis vindicem inter alios esse, quando in hoc refertur lucrum, illudque moderatum, vt eo necessitatibus suis suorumque honestè satisfaciat quis; quicquid autem amplius intendatur superfluum esse, & inter Christianos damnari. Iam quò quis in lucra maiore affectu, siue reipsa plus fertur, eo magis à recta honestatis deflectere. Cæterum præter hæc audiamus tubam diuini Spiritus Paulum: Emolumentum (inquit) ingens est pietas cum sufficientia. habentes verò nutrimenta ac operimenta, istis contenti erimus. 1. Timot.6
Audisquòd ab omnibus Christianis obseruari volebat Apostolus idque verò in diuites cumprimis intentans? Nam quę ille subiungit hoc indicant, atque ea meritò magna cum attentione hos audire præstat. Qui volunt ditescere (inquit) incidunt in tentationem: & laqueum, & cupiditates multas, tum stultas tum noxias, quæ demergunt homines in interitum & perditionem. Si damnari affectum lucri (vt hoc etiã nunc interim colligamus) & ab eo malorum ingens examen suboriri apertè dictum esse ab Apostolo constat: ecqui honeste fiat, ac citra periculum delinquendi, cum cupiditas ipsa omni studio re perficitur? Non est hic luce maiori opus; nec vt quis aliò violenter interpretetur ea; quæ sunt clarissima; quæ etiam qui non videat, nescio an aliud magis intellecturus sit. Sed dolendum valde est, quòd cum ea tot annorum centuriis in rem fidelium conscripserit beatissimus ille, nihilo tamen minus cum interim producuntur, tamquam nunquã literis fuerint cõmissa, & audita, demirari illa pergunt, cauillarique: deridere autem, dicere non ausim. Sed cur non ausim quando ipsi factis id efficere non vereantur? Quis abhorret à lucro? quis cedò, si ex singulo centenario viginti lucrari potest, decem tantum contentus sit? Stultum potius ac boni imperitum apellant, si quis nonnulla religione motus,

ita

tanti res valeat, quanti ex impulſu cupiditatis, atque auarorum aſtutia, ſed quanti ex iure, & ęquo definiri poſſe declaratur. Alioqui, quid aliud hoc eſſet, quàm habenas in collum remittere auaritiæ? Sed abſit (vt ſuo contra ipſum opponentem telo vtamur) vt lex quæ coercendis tranſgreſsionibus impoſita eſt, tranſgrediendi fomenta ſubminiſtret. Tametſi quod tuũ eſt, tuo ipſe arbitratu vel non vendere, vel vẽdere poſſis; tñ ſi vænale exponas, iuri honeſtè vẽdendi, & emẽdi, velis nolis, ſubdere. Iuſtitia enim ante omnia retinenda eſt inter homines; qua maxime pax & ſancta conſenſio conſeruatur: ciuitates, Reſp. Regna ampliſsima ſtabiliuntur; & durant. Apertum autem reuera fuerit latrocinium, neque iuſtitia, ſed violentia; ſi de facto poſſe illud intelligeretur. Cæterũ, vt de hac poteſtate valoris aliquid amplius loquamur, ſcire operæpreciũ eſt, rem partim natura ſui, partim vſu, plus vel minus eſſe in precio. Non enim inter ſe vſque, duo hæc natura, & vſus, conueniunt. Nam fit plerunque, vt quæ natura excellunt, proindeque plus hoc nomine valent; ſi vſum reſpiciamus, multo inferiora, ac viliora habeantur: contra, quę ob vſum, ac neceſsitatem ſunt cara; quòd ad naturam tamen pertinet, paruiſiant. Quis neſciat præſtare multò id qđ animam habet, quàm quod eã ſit expers? Sic formica ingentem farris aceruum, quem interdum (vt ait ille) depopulatur, naturæ dote exuperat, & adeo cœlum ipſum, quod cernimus, magnitudine, atque ornatu incredibili ſuſpiciendum. At verò quòd leone, & elephanto nobis carior ſit panis, & ouum, vſus & vtilitas in vita facit. Vſus quoque in cauſa eſt non raro, vt vilior ſit homo, quàm iumentum. Cum igitur non tam ex natura ſui, quàm ex vſu potiſsimum, & commoditate in vita rerum ſpecies quantitatem precii recipiant, quãuis valde difficile ſit ipſis rebus iuſta precia conſtituere: tamẽ videndum etiam atque etiam eſt, vt ſecũdum dictum vſum, & honeſtas commoditates, quoad eius illud fiat, & quid iuſtitia ipſa, & bonum commune deſideret. Non enim ob priuatum bonum dumtaxat, commercia rerum, & emptionis, ac venditionis negocia introducta quis rectè dixerit: ſed potiſsimum pro publica, & communi, quibus cum viuimus, hominum vtilitate. Qua re, in hac parte iuſtitiæ diſtributiuæ, ac politicæ, regula neceſſaria eſt, qua ita temperetur rerum precium, ne hic maius commodum, ille vero maius percipiat de-

trimentum: sed proportio, & æquabilitas quædam, quoad fieri posit, vtrinque conseruetur. Quoniam verò res rebus difficilè per se, iusta proportione, componi possunt, prudentissimè excogitauerunt, qui pecuniæ vsum induxere. Hæc enim medium, ac regula est, qua fit hec rerum non incommodè collatio, propterea ꝙ rerum omnium valor ad pecuniam estimatur. Quo circa si quantitatem valoris rei, precium in nummis excedat, vel minus sit in nummis, quàm in re valoris, nequaquam æquabilitas ea iustitiæ, quam diximus, conseruatur. Quæ cum ita sint, manifestum iam esse potest, rem non quanti posis, sed quanti iure debeas, cēsendam esse; modùmque præter ea lucro imponendum. Nam & ipsius naturæ legem illam incorruptam animaduerte. Quod tibi (inquit) non vis fieri, alii ne feceris. Et, Quæcunque vultis, vt vobis faciant homines, & vos facite illis. Sic nempe hanc sanctissimam legem Dominus confirmauit omnium optimarū legum Auctor. Quam legem omnino preuaricatur, qui quantum de facto potest res vendere, & lucrari, ipse contendit. Vnde & canónica, & ciuilia iura cauerunt, dum vltra dimidium plus venditur res, vel minus emitur, quàm valet, liberum esse ei, qui damnum accepetit, contractum (quod aiūt) rescindere. Res igitur tantum valet, quantum vendi potest: hoc est, nón quantum quoquo modo elicere inexaturabilis auari animus valeat, sed quantum regula iustitiæ adhibitis circunstantiis, quæ rationabiliter variare precium posint, ex poscere videatur.

Matth. 7

OFFICII ESSE EORVM, QVI POPVLOS REgunt, *prospicere vt iusta precia rebus imponantur: neglectum in ea re non impunè laturum Deum.*

Cap. XIII.

QVAM ob rem, vt primæ huic cupiditati frena imponerentur, optimum esset, vt per superiorem, ac legitimam potestatem, siue laicam, siue ecclesiasticā, rebus præsertim maioris momenti, sua precia præscriberentur, idque accuratè perpensis circunstantiis, & collatis omnibus ad conseruandam iustitiam; atque non tam priuatum, quàm commune, & publicum bonum omnium constabiliendum

dum, opportunis; neq; ita ciuilibet illud efficere pro sua voluntate permitteretur. Quod si operosa hæc res, & ingentis curæ, atque molestiæ videatur, vt certè esse non diffitendum est, viderint, ac sciant, qui præsunt, hoc ad se maximè inter alias curas, ac studia regundorum populorum pertinere. Quã enim rem magis sui esse officii dicere habent, atque subditis, quam optimè fieri potest, prospicere? Quod si negligant, sciant se ad Dei tribunal de huiuscemodi neglectu rationem reddituros. Sunt quidem in rebus minutioribus priuati illi magistratus optimè constituti (quos Romani ædiles olim) quorum munus est prædictarum rerum stata precia taxare, expendere, examinareque mensurarum, ac ponderum iustitiam, aut iniquitatem; castigare fraudes, atque in falsarios, & impostores ipsos iustè animaduertere. Sed hæc cautela, atque diligens prouidentia in rebus maioribus etiam multò fuerit salutarior; tantum vt ne priuatis affectibus, atque cupiditatibus huiusmodi censores, & quæstores indulgeant, sed vtraque in parte incorruptè decernãt. Verum quid nos hic iam dicere possumus? Omnia neglecta videmus. iacet studium, extinctusq; est sanctus iste iustitiç honestissimç zelus. sine legitimis legibus, ac regulis ferè viuentes vnius auaritiç ac cupiditatis incitamenta exactè persequuntur. Risus sunt, ac ludibria, si quis de ea moderatione in vniuersum admoneat: tanquam vero nihil possint iustæ rationes contra hanc improbitatem, & quasi nullius roboris sint iura omnia, siue Dei, siue naturæ, siue quæ à sanctissimis, & prudẽtissimis quibusq; sancita sunt, vel certè perinde, atq; hæc nunquam audierint, aut ad se non pertineant: ad hunc modum ex toto diametro explere istam inexplebilem suam auiditatem, omnibus neruis, artè, studio, atque cura incumbunt.

ALIA ARGVMENTA AD DEMONSTRANDAM *auaritiæ seruitutem, qua maximè sanctitas christiana fœdatur; hinc in nos flagella diuinæ.*

Cap. XIIII.

Ezech. 28. SED audiant Dei nomine prophetæ vocem: In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negociationis tuæ polluisti sanctificationem tuam. Hæc ad populum, cui permissum erat terrena bona quærere, & adeò ob recte facta promittebantur. Quantò nos ergo ea vehementius premunt? & nota ignominiosissima inurũt? Polluimus sanctificationem nostram modis iniquissimis hisce. Nam quantò Iudaicam sanctificatio nostra excellat, scimus. Sanctificati enim nos non terrenis rebus humilibusq; symbolis, sed sanguine filii Dei, vnctioneq; Spiritus sancti, diuinis muneribus dicati, atque ditati sumus. Christianos nos à CHRISTO, & in filiorum Dei album cooptatos, sanctificatos nos admirabiliter præstantissima omnium sanctificatione sanè, quàm dicimus. Itaque qui hac plusquam regia nota insigniuntur, quando terrena vniuersa alto animo spernere conueniat; si contrafaciant, iure optimo sanctificationẽ suam polluisse intelliguntur. Prætermitto non parum multas alias ex auaritia labes, quibus perinde hæc nostra sanctificatio ignominiosissimè fœdatur, vt sunt periniquæ illæ, ac damnatæ congerendi auri formæ, indicia non minus indubitata pestilentis ęgritudinis, dum inuolutis, & inextricabilib. vsurarum nodis, imò apertis vsuræ laqueis, diripiuntur proximorum res, intercipiuntur pignora, negantur deposita, fideicommissa bona pupillorum fraudantur: denique quando, quoquo modo alienę res habentur, quam diu probare non possis, fortiter retinentur. Infanda autem isthæc facinora multi abhorrent, sed vtinam plures hoc malo non languerent. Nam si inter nos, quam par esset, syncera fides vigeret, si animi ab noxia cupiditate liberi essent, ac sani, quid tot instrumentis, codicillis, syngraphis, hypothecis? quid in summa tot notariorum scriptis? tot testibus in quotidianis commerciis, ac negociis opus? Ne pater quidem filio, neq; filius patri, vt alios minus coniunctos (ne commemorando molestus sim) prætermittam, rem vel pecuniolam sine obsignata

tabella

tabella facilè credit. Hei nos miseros, qui ita Deum, imò nō Deum, sed aurum, & res nihili adoramus. Adoramus certè, ac colimus, cum ita animo in eis affixi acquiescimus. Mirari ergo desinamus, si cuncta ferè ex aduerso nobis ferantur, si tot molestiis, atque calamitatibus, domi, foris concussi, inter ea nullus prope modum tranquillitati, ac letitiæ locus relinquatur. Nostra hęcce iniqua facta sunt, quæ tam multa, atque ingentia in caput nostrum mala important. Lucrari delectat, fieri diuites contendimus, sed non secundum legem *CHRISTI*. Quo circa, & si cunctando ad vltionem procedit, ne tamen ob impunitatem in scelera perdurantes, Deum non curare res nostras impiè persuasi simus; huiusmodi molestiarum procellis exagitari interea ipse nos permittit. His nos ad mentem redire cupit, vt grauiora supplicia non incurramus, quæ omnino, si bonitatem, ac maiestatem eius contemnere pergamus, nos manēt. Vt enim Deum infinita lentitudine, ac misericordia erga resipiscentes, sic pari iustitia, & seueritate aduersum præfractos, & obstinatos vti libere confitemur.

*

*

*

****

*

*

*

DE LATISSIMO AVARITIAE DOMINATV

LIBER III.

PRAEFATIO.

TERTIVM iam exordimur, & ad ea quæ multa diximus, ac plura etiam, quàm nostri propositi primum fuerat; complura tamen etiamdum dicenda intelligo, antequam metam finemque, quę res atque causa præsens exposcit, pertingamus. Inter dicendum enim atque scribendum, quamuis tibi certos locos limitesque præstituas, aperiuntur tamen, occurruntque non raro multa neque excogitata prius, neque animaduersa, quæ commodissima si adhibeas, neglecta vero si fuerint, ac prætermissa cum iactura quidem id postea experiare. Quantum uis enim quis bene doctus exercitusque fuerit, omnia que in negocio quod tractandum sumit, necessaria & commoda singulatim vt præmeditata ac perspecta habeat, nihilque vt differendo sibi inopinatè occurrat, fieri equidem posse non putem. Sin autem contingat vt in aliquo sit tanta perfectio, vt eum nihil latere possit; nos certe qui adeò infra esse agnoscimus nos, amplectimur non grauatim, quæ se nouè offerant, dum nostræ tractationi prodesse videmus. Arbitramur nempè cum in cæteris causis, tum in tractationibus rerum, quæ ad fructum animorum, & ad bene Christianéque viuendum pertinent, magno istuc vsui, atque honestissimum esse. Alia enim multo est conditio forensis oratoris, & profani philosophi, alia Christiani. Illi suopte ingenio, studio, arte exercitationéque freti suas causas peragunt: hic, vt non eorum instrumenta contemnat, ante omnia tamen atque in vniuersum à Deo, à diui-

diuina gratia & patrocinio pendet. Non enim sunt ipsi qui loquuntur, sed organa (vt ita dicam) sunt Spiritus sancti, qui loquitur per illos. Vnde fit, vt ciente illo agitantéque, nec non clare primum intelligente fructum, quem ad alios pertenturum inde destinauit, non tam quæ ipsi sibi diuinæ doctrinæ administri proposuerint, quam quæ neutiquam cogitarant ad differendum, inflectantur. Testes huius rei sunt omnes boni, quibus sanctissima hæc prouincia, alia aut alia iusta ratione pié, soliciteque exequitur. Nos verò licet in hoc ordine postremi, non immodestos aut culpa dignos esse nobis persuademus, si dixerimus sperare nos optaréque, vt nobis quanti quanti sumus in suum Spiritus ille sanctus vsum vtatur. Conscientiam ille videt, ac mentis nostræ propensiones & decreta ad eius voluntatem constituta, quorum quidem cum ille sit auctor, quæ inuidia, si in finem quem ipse velit pro suo arbitratu ea dispositurum credimus & fatemur? Confisis igitur benignissimis eius auspiciis, vt commodius procedamus, placet quæ nostrorum hominum mentes auaritiæ contagione infectas demonstrant, in præcedentibus expositas, hic strictim colligere, inde ad alia, maximè autem ad cambia non mediocre auaritiæ symbolum atque adeo nutrimentum, pertractanda, orationem conuertere.

RECAPITVLATIO ARGVMENTORVM IN PRAEcedentibus expositorum, vnde auaritiam dominari conuincitur. Cap. 1.

DIXIMVS ergo in vniuersum non esse cur auaros se negent, non modo qui in superflua conquirenda, cupiditate immoderata feruntur, verum etiam qui idem in parandis necessariis præstant. Clara autem & indubitata illa ægritudinis eius esse indicia, quòd neglecta animæ cura, toti ad lucrum continenter incumbunt: quòd neque quid fas sit aut nefas, modo aggerent rem, expendendi vllam habent rationem: quòd lucri gratia fingere, refingere, adulterare res, bonas malis commaculare, malas pro bonis obtrudere non verentur. Ad hæc, noua sordida, turpia & inhonesta artificia in hoc subinde excogitare: continuis iuramentis abuti, deierare, peierareque imperterrite: in Deum in san

in sanctos periniqua committere. Adde mensurarum, ponderum falsitatem: impatientiam dum male propriæ cadunt res, inuidentiam, cum aliorum secundo ferri intelligunt cur su: item continuas querimonias, sacrorum dierum profanationem; neglecta insuper vel indignissimé obita nostræ religionis necessaria suis temporibus officia. Denique inter negociandum, neque fidem neque modum, neque honestatis iura retinere. Et si vero hæc,& huius generis alia multa, omnia ad vnumquemque non pertinent, horum tamen omnium cum alius alio signo impressus deprehendatur, cunctos generatim quidem laborare hac prauitate intelligitur. Sunt tenuibus magis peculiares suæ huius morbi notæ, sunt locupletibus perinde. illi maximé per manuarias artes, isti potissimum per negociationum genera seruiunt auaritiæ seruitutem.

DISPVTATIO DE CAMBIIS INSTITVITVR, AD *regulam christianæ doctrinæ illa esse examinanda: & cur pecunia, & eius varietas introducta.* Cap. II

SED iam commodum occurrit de cambiis disserere, quæ inter artificia & commenta egregié apta ad amplificandum lucrum, nostri diuites perquam familiare habent. Non contenti enim aliarum rerum quod per leges licet, dum ad honestum finem (vt explicuimus) diriguntur negociis lucrifacere: commercia etiam nummorum cum nummis traxerunt in vsum, cambia vocant. quæ vox & si ex vulgo crassa, dissimulanda erit, cum rebus intentos per omnia esse conueniat, præsertim in christiana schola & qui docet, & qui discit. De his igitur nunc differamus; & ea genera, quæ recentioribus hisce annis frequentius exercentur vt perinique fiant, certis rationibus demonstremus. Ne vero hoc mihi ex Aristotele, aut aliorum philosophorum mundanæ sapientiæ palæstra deductum iri expectes; sed, omnium maxime á doctrina Christiana, quæ ex diuinis scripturis, & secundum illas cum primis habetur. Hinc, mihi crede, non á mortalium adinuentionibus, veræ ac perfectæ religionis, dogmatum sanæ & integræ fidei, honestatis morum atque virtu-

virtutum: denique quicquid ad instituendum integerrimé vitam pertinet, regula ac forma petenda est, si non ementité christiani esse volumus. Igitur vt ad rem nostram veniam, indicatum est pauló ante, honesta negocia in vsum traducta fuisse, ut necessaria humanæ vitæ, cum priuatim tum publicè, inuicem communicarentur. Namque cum neque apud omnes, neque omni in loco in promptu habeantur eius generis vniuersa; commercia inter sese rerum istarum atque commutationes excogitatæ fuere, quod actum vocari negociationem diximus. Quia veró multum esset difficile, vt, si per se res cum rebus componerentur solum, secundum leges iustitiæ ipsa commutatio exequeretur: idcirco commodissimé repertam pecuniam esse item diximus, qua quantum fieri posset, precia rerum coæquarentur. Quam ob rem, vsus pecuniæ proprius princepsque est, vt hanc æquabilitatem vltro citróque, haud cum labore constituat. Vnde fit quoque, vt quod alius minus habet in re, dum ab alio eam accipere velit, pro ipsa re pecuniam tradat; quod factum, emptio ac venditio nominatur. Porró autem cum infinité in suis preciis res variari contingat, propterea varię nummorum formæ admissæ fuere. Sunt enim aurei, sunt argentei, sunt ærei, sunt maioris, sunt minoris quem ad modum ponderis, sic & valoris. Variant quoque pro auctoritate, qua percusi & obsignati exponuntur. Quo circa si vnum aut alterum duntaxat pecuniæ genus haberetur, ægerrimè etiam negocia exercerentur. Sed varietas ipsa maximé commoda experitur. Atque ob hanc commoditatem permutationes pecuniarum cũ pecuniis inductæ sunt in vsum: qui quidem vsus haud principalis dicetur ipsius pecuniæ esse, sed potius ex casu, atque boni eius gratia, quod mox diximus, admissus. Alius autem pecuniæ vsus deprehenditur etiam, qui tametsi ad alias res complures conuenire intelligatur, in pecunia tamen magis elucet, ac frequentari solet: quod factum sané mutuum passim appellatur. His ita de pecunia expositis, de illa in vniuersum hoc præterea, quod in præcedentibus tetigimus, nunc confirmamus, non proprium genus negociationis illam habere; sed re vera eius esse instrumentum atque illi subseruire quamquam contentiosius non repugnarim, si negocii species quasdam, tum mutuum ipsum, tum permutationes (quas quidem mea sententia, verè cambia voce hac triuiali appella-

bimus) dici posse velis. Quid igitur de cambiis, de quibus speciatim nunc dicendum constitutum est; quæ nostri ciues negociandi genus, & quidem illustre, apud se haberi demonstrant?

Cambij diffinitio

DEFINITIO CAMBII IN GENERE, ET QVO *pacto fiat quæ realia dicuntur, & quæ minuta, & quæ sicca.* Cap. III.

HIC iam tandem intenti simus. Atque ante omnia secũdum quòd peragi solere intelligimus, manifesta definitione, aut potius descriptione exponamus; videlicet: Cambium est actum quoddam, quo ab altero datur, ab altero autem recipitur pecunia, quam, qui accipit, reddituram spondet, vbi & quando, & cui, is qui primum dat, voluerit. Sub hac verò definitiõe veluti generis facilè admiserim contineri tamquam eius species illa, quæ cãbia realia per literas nuncupantur; quæ certè sine turpitudine fieri à cunctis, nisi aliqua deinextraria conditione vitientur, conceditur. Hec in hunc modum fiunt. Negociandi gratia quispiam ex alia regione ad aliam transferre summam aliquam pecuniarum deliberans, quò pericula itineris in deferendis illis deuitet: adit virum, cui ipsas dinumerat. idque eò pacto vt illic, vbi constituit ipse dinumerans vel sibi cum eo profectus fuerit: vel alteri vt volet suo nomine scriptis literis persoluere illas is, qui accipit, faciat; retento interim nonnihil ab ea summa, vel alias, quod pro suis operis ac laboribus in ea commodatione (iuxta çquitatem) lucretur. Altera species dici posse videtur minutorũ quæ vocant; quæ simpliciter realia etiam dicuntur; quæque (mea sententia) propriè maxime cambia appellantur. Propterea quòd in ipsis simpliciter pecuniç genus, cum pecunia alterius generis cõmutatur. verbi cã argentea cũ aurea minoris numeri, sed valoris maioris cũ ea, quæ minoris valoris, sed maioris numeri existat. Iam & ista omnium sanè sententia inculpatè peragi nisi aliunde iniquitatis labe aliqua aspergi contingat: & percommoda esse cõmerciis, & vsibus vitç necessariis iudicatẽ. Cæterũ vtrisq; istis prætermissis, venio ad alia, de quibus exactè disquirere mihi potissimum constitutum est. Hæc vero sunt illa quæ

lugdu

Lugdunēſia cambia,ſiue per Lugdunum; aut potius(vt nūc) Bezanſonenſia; imo vero vt plurimum Sicca nuncupantur. Varii autem horum à variis inducuntur modi; de quibus omnibus ſpeciatim dicere, vt nimium longum, ita haud neceſſarium in præſentia fore iudicanti, prætèrita tanta varietate,modum generalem, & communiore vſu detritum, apertè quo ad eius,mihi nunc exponere placet. Sic enim habet. EST ciuis, qui lucri gratia his cambiis operam nauans petitur ab alio,vt ſibi centum aureos nummos ex marcha (vt aiunt) ad cambium per Bezanſonem tradat. intellecto is valore nummi, qui tum iuxta traditiones mercatorias. Genuæ, vbi (exēpli gratia) ſunt, in foro currit; ſecundum illud precium centum, illos petenti dinumerat: interim qui accipit, pollicetur ſe ſcripturum literas Bezanſonem ad certum hominem, qui illic conſueto tempore nundinarum dictos centum aureos ſuo nomine perſoluat ei, cui ipſe tradens commodius æſtimabit, idque ad valorem,qui eo tempore nummo aureo prę ſtitutus erit. Itaque hoc loci vterque de ipſa re literas ad ſuos alium ad locum mittentes: hic traditas ab altero accipit, ille alibi ſuo tempore aſsignandas pecunias præſtolatur.

CVM PLVRIMI INIQVE FIERI SICCA CAM*bia doceant, pauci autem aliquouſque ab iniquitate ea vendicare conētur, vel hac ratione in culpa ſunt, qui exercent illa.* Cap. IIII.

HOC ergo tertium cambiorum genus,quæ ad hunc in commune modum fiunt (& ſi vulgò ſecus exiſtimetur) dubium,perplexumque haberi tamen apud ſaniores comperitur:de quo multi in vtranque partem dixere, & ſcripſere. At verò, quamuis maior pars eorum, qui de his maiore ſerio diſſerunt, iniuſta eſſe decernant, & merito ea ſicca dici affirment, eò quod humore iuſtitiæ, & caritatis deſtituta ſint; & quamuis etiam qui noxa iniquitatis condemnare pertimeſcunt, tutum eſſe nihilominus ab his abſtinere pronuncient, & conſulant dimittenda; quia tamen lucrandi libido dominatur, latiſsimè patere horum vſum conſpicimus. quamq̃ etiā dubitandum eſt huic flammæ materiam fortaſſe ſubminiſtrari ex eo, quod vnus atque item al-

alter aſſerere ea aliquantiſper ab iniquitate videatur. Qua in re,(vt hoc prius dicam) quis non intelligat, vel hoc nomine cambiatores (ita mihi dicere liceat) iſtos,inculpatos eſſe non poſſe,qui deteriorem,ac perículoſiorem partem intrepidè arripiunt? Qui amat periculum (inquit ſapiens) incidet in illud. Iam quis niſi malè ſanus,in vitæ ſe diſcrimen,aût temporarii aliûs cuiuſuis detrimenti committat, vnde ſuapte ſe proripere ſponte facilè habet? Itáne etiam,ſi falsò fortaſſe renunciatum tibi ſit,viam qua iturum te conſtitueras,latronibus infeſtam eſſe: tute neutiquam ei te periculo iniicias, quâuis interim aliâs iter facere, quo deſtinaras vtilitatis gratia, non poſsis: vbi verò in periculum animæ,in dubium ſaltem præuaricandæ legis deuenitur Dei, nullo timore detinebimur? religione non dimouebimur? ſed & quamquam facti conſcientia mordet, fortiter ea tamen contemnetur nobis? Pergimus nos verò, pergimus inquam facere ſatis cupiditati. Indicium certè Chriſtianæ animæ non pœnitendum, religione contineri plærunque,vbi vereri haud referret. Quòd ſi (vt verè poſſumus) dictum conuertimus, non erit Chriſtiani,vbi timere ſuſtinericꝫ ſit opus, eò ſe animosè committere.

Ecclesiast. 3

AD QVAS NEGOCIATIONIS SPECIES MVLTI *ſicca cambia referant.res autem non ſemper commodè intelligi ex impoſitis ſibi nominibus*

Cap. V.

AD rem. Eorum igitur, qui de his cambiis diſputãt, quò iuſtitiam, aut iniuſtitiam eorum probent: alii permutationi, alii emptioni,ac venditioni,alii mutuo, alii innominatis negociis (vt aiunt) adſcribunt. Nobis verò non tam hac via,quàm aliis potius,quòd ſint iniqua (Deo dante) curæ erit demonſtrare. Tametſi enim hęc reductio ad cauſæ lucem facere videtur, non ſemper tamen dextrè cadit ad hunc modum diſquiſitio rerum. Nomina enim,quę rebus excogitata imponuntur,vt frequenter ipſarum naturas ritè explicent,non pauca tamen ab vera ſignificatione aberrant,ſiue obſcuritate ipſius rei,ſiue imbecillitate intelligentiæ noſtræ,ſiue (quod in cæteris latè patere intel-

ligi

ligitur) q̃ morbo affect⁹ animus, turpia honestis, honesta turpibus nuncupare nominibus solet: Iã verò acta innumera vitiorum, ac virtutũ, facilius ex proprietate probè animaduersa ipsorum, virtutes, aut vitia esse cognoris, quàm vt certo nomine voces. Ratio enim integra, ac Dei cumprimis lumine collustrata, cum ea ad regulam æternæ legis examinat; videt qua conformata sint, quaque illi parte dissentiant: vnde licet non ita proprium nomen, ac speciem assignare possit, iusta nec ne sint tamen, confidentius affirmat. Quo circa, vt vnde excessimus redeamus, non tantum, quòd ad vllum dictorum genus referantur, quantum ex rationibus ipsorum magis intimis cum Dei gratia iniqua esse hæc sicca cambia demõstraturi sumus.

QVID SIT MVTVVM, ET AD ILLVD FACILE *sicca cambia reduci.* Cap. VI.

VERVM enim verò, ne hanc methodum cõtemnere videar, per libēter ego illis assentiar qui ad mutuum maximè pertinere illa dicũt; cum formã eius, ac genuinas proprietates fere retinere intelligantur: quod apertè ex ipsa mutui definitione constat. Mutuum enim in commune sic definitur: Actum scilicet, quo rei proprietas ex suo vsu consumptibilis, ab alio transfertur in alium, qui deinde redditurus sit rem, non quidem eãdem numero, sed specie, aut valore. Notare iuuat in hac definitione interim, q̃ interuallum tēporis aliquantum intercedere oportet inter datam, & redditam rem. Alioqui si statim, aut breuiore spacio fiat redditio; aut permutatio, aut venditio, aut si quis alius actus potius dicatur. At si reddatur eadem res, id commodatum pignus'ue, siue quod alio nomine nuncupabitur. Sed licet numero differre vsu veniat; at specie, vel valore conuenire oportet cum re, rem mutuo præstitam. Nam si data lana (verbi causa) quæ decem aureis valeat, reddatur dein sericum, qđ tantundem valeat, & si non specie, valore tamen in quo consentiunt, rationem mutui factum retinebit: quod tacitum, siue implicitum, interpretatum'ue vocant; expressum autem, cum & specie, & valore congruunt. Nec verò mutuum propriè non erit, si pro aureis, argentei reddantur nummi, quia

non

non materia, sed valore, quo cæterarum rerum sunt mensura, ac precium; ad eandem speciem vtrique conciliantur. Ex hac ergo mutui aperta definitione, euidenter (quantum quidem intelligi potest) colligitur, hæc ipsa cambia ad mutuum pertinere. An non est res cõsumptibilis pecunia quæ datur? An non eius proprietas transfertur in recipientem? An non spondet, qui recipit, seu per se, seu per alium, ipsam restituendam numero quidem differentem, sed specie, aut valore eandem, quamuis & materia, & genere nummorum interim inuicem variari contingat? Quid hic, ne ad mutui genus referas ea, deesse videtur?

RES QVASDAM ACCIDENTARIAS NON SEPArare reuera sicca cambia à mutuis, & quid sit usura.

Cap. VII.

NEC certé leuiculæ quædam, & accidentariæ qualitates, separare á mutui ratione possunt illa, quod multi artificiosè conantur. Nam vbi præcipua mẽbra, ac substantialia adsunt, nequaquam defectu minimorum, res á suis speciebus remouentur. Leue enim est dicere, ideo non esse in his cambiis mutuum, quia & si post primam acceptionem fit nummorum redditio; id tamen non temporis gratia, vt in mutuo, sed loci fiat. Finge pro arbitratu, in ictu oculi Genua Lugdunum conuolari posit; non ne statũ præstolari oportebit nundinarum tempus, vt non loci potius, q̃ temporis ratio habeatur? Haud enim substantialis est hæc mutui differentia, videlicet vt ibidem detur, ac reddatur res, vt ex diffinitione patet, sed accidentarium quiddã, quod fit magis ad placitum, & accipientis, & reddentis. Leue item & illud apud sanos est, ꝙ cum hic dans primum pecuniam, non sit certus an tantundem sibi restituetur, in mutuo veró constet; idcirco ad mutuum ea cambia non pertinere. Nam quis istam incertitudinem magnifaciat, quando rarissimé cõtingat diminui, frequentissimé autem hic pecuniam augeri? in quem scopum potissimum hæc cambia exercentur? De raro contingentibus enim habendam rationem non ita esse, etiam philosophi docent. Sed quæro vnde hæc nummorum mutabilitas commenta est, præterq̃ ab astutia negociatorũ?

At

At de hoc postea videbimus. Iam vt infirmum est illud, in mutuo licere pecunias concreditas quo uis tempore repetere: in cambio non nisi ad præscriptum nundinarum? Imò verò quando restituendum sit, & in mutuis frequenter côuenitur, & nisi incidente casu necessario ante condictum, haud repetit qui mutuatur. Alia autem huiuscemodi referre piget, ac persequi, quæ vt plurima coaceruentur, immutare tamen rei naturam, vtpote ab essentia ipsius longe remota, possunt nullo modo. Nunquid enim homo non erit homo, oculis licet orbus nascatur? aut si fortuitò digito aliquo manuum, aut pedum caret? Aut etiam ne domus non erit illa, quæ fundamêto, parietibus, tecto constans; insolentissimæ tamen formæ, cui nulla prorsum per totam ciuitatem sit similis, ab architecto fuerit edificata? Cum igitur ex essentialibus notis hæc cambia ad mutuum maxime referenda esse perspicuum sit, quamquam leuioribus nescio quibus videntur differre posse: quis hac ratione saltem neget vsuræ notam retinere illa? atque inique fieri? Cur nam rogo peraguntur, nisi ob spem propositumq; lucrandi? Sic verò, q̃ breuissime vsura definitur: Lucrum videlicet ex mutuo cum primis intentum.

NEQVAQVAM IN CAMBIIS VENDI PECVNIAM *vnde sit, venditio, & emptio; & quæ sit pecuniæ natura.* Cap. VIII.

AT negant porrò hic alii mutuum inesse, sed vêdi in his cambiis aiunt pecunias; proinde lucrum ab eis inculpate sperari posse. Sed minime hoc illis concedi oportere, non difficile intelliges, si venditionis, & emptionis originê, & causam, siue pecuniæ naturam consideraueris. Emptio enim, ac venditio vnde nam, quæro? Num ex eo, q alteri (siue propriæ vtilitatis gratia, siue vt cum suis, cômodis etiam aliorum consulat) deest res, quam alter habet? Carere ergo hunc quidem, illum verò abundare rebus ad vsum vitæ facientibus cum emptionis negocium induxerit, ridiculosum perquam iure videtur, pecuniã cum habeam, pecuniam etiamnum emere. Namq; emptorem volũt esse campsorem (iam & nos hoc vocabulo vtamur) qui pecuniis (vt plurimum) abundans, eas dat primum: qui autem accipiat ab

ab illo,aliarum,quibus non raro caret,& præsentibus,& distantibus,venditorem: quæ peruersio a quo nō intelligitur? Sed enim indiget verè quidem,inter inmanes opes etiam auaritia laborans,quā nunquam satiatur:cui tam deest,quod habet,q̄ quod non habet. Verum haud propriè campsor,sed qui ab ipso accipit,indiget. Etsi enim plærunque habet, vbi se spondet redditurum,frequentius tamen neque illic,neque alibi nummos possidet: sed quia videt neutiquam sibi quēquam gratis, pro frigidissima caritate nunc maximè Christianos occupante,mutuaturum; negociari tamen,ac lucrari cum constituerit,fide mercatoria ad horum cambiorum artificium,quod ante nos tum verè pii,cum docti in fraudē vsurarum repertum dixere,se conferens; ita suis negociis prospicere curat. Cæterum vt vt de possessione, aut carentia pecuniæ hic statuatur; nequaquam vt piper(verbi causa)aut sericum vendi iure poterunt vnquam pecuniæ. Etenim metallum percussum,ac principis charactere signatum (quod nomenclaturam pecuniæ accipit) haud institutum est,vt vendatur,sed potissimum,vt ea ad iustam æqualitatē(quod antea diximus) venalium rerum precia redigantur.

NON ADMITTI SECVNDARIVM VSVM IN PECUNIA *vt vendatur, sicut aliæ res; sed abusionem id esse,quo modo verò recens inuenta careant probro.* Cap. IX.

QVOD autem adducitur ad probandum eius venditionem, de duplici rerum artificialium vsu,minimè valet. Esto, duplex iste vsus cæteris in rebus artificialibus concedatur, vt in calceis (verbi causa)prius videlicet,vt muniendis pedibus illis vtamur, dein vt vendi iis, qui careant illi possint: at hunc secundarium vsum in pecunia honestè haberi negamus. Rerum enim aliorum venundandarum semper honestum habitum fuisse vsum ex se, dū aliunde non corrumpatur (vt abundè in præcedentibus exposuimus) nemo non intelligit. Quare inde à principio cum relicta feritate homines conuiuere, & commercia inter se exercere cæpissent, hucusque posterior hic vsus retinetur; in pecuniis verò ad nostra vsque tempora inauditus & incognitus

extitio-

extitit. Quo circa etsi non aliunde, hac tamen insolétia damnationis est dignissimus. At non est culpanda recentium (dices) industria, si qua in lucem eruant, quæ antiquos latebant. Audio. Sed in laude tum id fuerit, si in recta ratione recens excogitatæ res consistant: si á vitiata mente non emanent, si in finem honestum referantur. Quam ob rem cum hæc noua vendendi hunc modum pecuniam industria apertè contra vsum bonorum, contra rationem, nec nisi vt potissimum inexplebili cupiditati, non autem ad commune bonum (vt á quibusdam prætenditur) fiat satis, ab optimo quoque esse intelligatur; in vitio maximè non esse non potest. Monstri enim instar esse pecuniam, pecuniam parere, atque eam per se sterilem prudentissimi quique iudicauere: & precium rerũ illam, non item precio alio eãdẽ appreciari debere.

QVO PACTO INTERIM PECVNIA VENDI DIcatur, *cum dilutione nonnullarum rationum, quę ad veram eius venditionem probandum adducuntur.* Cap. X.

QVOD autem interdum vendi videatur; non id re vera est quòd ipsa væneat quã pecunia, sed quã metallum, ac pro materia (vt aiunt) quod ferè semper cum damno fit vendentis. Quare nisi formam amittat, aut alia ratione fiat ne pro nummo expendi possit, nemo ferè vnquam ipsam pro materia diuendet. Addo autem ferè propterea quòd gratia bonitatis, aut maioris ponderis, nummi aurei atque argentei, qui olim, quando haud ita longè latèque cupiditas dominabatur, sic fabricabantur. præstantiores habiti vel ad aliquod egregium artificium & ornatum, vel ad viliorem monetam cudendam, interdum plus quam alii eiusdem generis communiter expendantur, ab aliquibus coemi cernuntur. Itaque pro materia aliquando, nunquam verò ex propria ratione pecuniam vènundari conuincetur. Iam quæ preterea ad probationem venditionis eiusdem afferuntur; minimè quod volunt, efficiunt. Nam pro pecunia (vt hoc illorum argumentum attingamus) in naui constituta, de qua naufragium timetur, aut quam quis in nominibus ac debitoribus habet, de quorum fide dubitatur: Si, in-

pecunia si vendit, id est ut materia --

quam, pro ea pecunia daturum ſe quiſpiam minus, quam illa in propria ſumma ſit, polliceatur: non is quidem hoc efficere iuſtè dicetur, quòd ita ipſam in periculo pecuniam propriè emat; ſed alia ratione. Periculum enim amittendi, labores item recuperandi, impendiáque,& ſi qua alia veriſimiliter hic adiuncta, ad calculum cum reducuntur, in cauſa erunt vt ab hac nonnihil ſpecietenus ex legitimi eius precii ſumma detrahatur. Nempe quem ad modum in cambiis realibus per literas, non emi à numulario pecunia à negociatore tributa minori precio dicitur, & ſi minor ſumma poſtea vbi condictum erat redditur: ſed quòd commodatio locatióue, expenſæ,& id genus fortè alia cenſentur, quorum gratia ipſe numularius honeſtè quippiam lucrifacit. Atque vt in realibus minutis illis, nequaquam monetam ſuam vendere iure dicetur qui ad eam permutandam addictus eſt (quamuis abuſione quadam audire ſit nonnullos dicentes, ſe aureum ſcutum emiſſe, ſeu ducatum (vtamur iam hiſce ex vulgo ſumptis vocabulis) quatuor aut ſex minutulis nummis pluſquam communiter expenduntur) verum conſtante illius valore ex publica ac legitima auctoritate, illud plus pro ſua arte non vendendo, ſed commutando, haud iniquè percipit. Sic nimirum in vniuerſum neutiquam pecunia ipſa eſt, quæ reuera væneat, ſed quæ per circumſtantias dictas plus minus valere videatur. Itaque nummus aureus, qui verbi cauſa nunc vulgo 70. ſolidos valet, non rectè dicetur vendi 65. aut 66. aliqua ex prædictis incommoda circumſtantia affectus; ſed firmo precio vt legitimè ſancitum fuerit: illæ ipſæ eius monetæ incommoditates, quas ſubit alius, prudenter ac iuſtè æſtimatæ efficient, vt non iniuria 4. aut 5. à 70 detrahantur.

CARERE SICCA CAMBIA TVM ALIIS CIRcunſtantijs, tum his quibus realia inculpatè exercentur. Cap. XI.

ALIQVID autē dicere viderentur, ſi ad has circumſtantias, vt lucrari honeſtè poſſe ex hoc cambiorum ſiccorum artificio conuincerent, ſe referrent: non autem eo quòd in eis pecunia vendatur. Sed vt nullo modo vendi illam in commune demonſtrauimus, ita nullas etiā

ex

ex dictis circunstantiis ad eã,quam per hęc cambia negociantur accedere, cum Dei gratia (nisi specietenus) declarabimus. Dici quidem potest distare loco pecunia, quam Lugduni assignaturus est quis pro ea, quam primum à campsore hic Genuæ accepisset; sed non ideo ob pericula, & impensas reducendi,quæ hic non intercedunt,iustum esse,si plus aliquid cãpsor perciperet,dici potest. Nam & si quidam, ea etiam ratione, qua realia per literas approbantur, hæc perinde iusta demõstrare conatur,minus tamen id consequi dicimus,quãdo inter sese laté dissentire dinoscantur. In reali quidem illo nummos alterius accipiens alibi reddendos, translator non improbabiliter dici potest; quod ex eo comprobatur, quód re ipsa in loco definito aliæ pecuniæ pro prius datis exsoluuntur: & ideo dum ex suo officio ita commodat, non iniusté (ut in præcedentibus dictum) moderaté lucrari potest. Hic veró alteri dans, qui lucrum intendit; nec facto vnquam, ac ne cogitatione quidem, nisi ociosé ac inepté (vt, ita dixerimus) faciat,translator pecuniarum sibi alibi in nundinis redditarum, comperitur. Quid? vel enim ad mercimonia, vel ad eadem cambia vltró citróque exercenda, per suos accepta illic eas campsor iste conferri ordinat,vnde fit: vt quamuis distantes certo quodam modo quis aiat; propria tamen ratione (vt circunstantiarum prædictarum iure rationem haberi oporteat) nunquam distare conuincentur. Igitur honesti lucri ratio, quæ in illis aperta est, in istis, vt cuiuis intelligenti constat,haud apparere potest. & vt in reali nullum est mutui vestigium, sic in sicco hocce, nisi prorsum à luce veritatis studio nõ patimur illustrari, germana ipsius mutui(quod satis supra ostensum est) forma impressa perspicitur. Quo constante firmissimo fundamento, ruunt vniuersæ rationes quæ præter hoc ad asserandam istorum iustitiam in̄ venditione, quam admittere reuera haud possunt, ædificatę iam sint, atque præterea superstrui potuerint. Neque veró tantulum commouet exaggeratio, quód in reali videlicet prior pecuniarum acceptor commodatur aliquandiu pecuniæ alienæ vsu, deinde lucrum ex pacto etiam expectat; in sicco veró pecuniæ suæ vtilitate fraudari interim, qui eam alteri dat: quã ob rem indignum esse ne hic iuxta lucretur, nec alterum alterius conditione peiorem esse debere. At enim ad huuc modum æqué conqueratur scilicet vsuris meris incumbens: sed

contra ius ac fas vt hoc esset maximè; sic in istis huiuscemodi querela intoleranda non esse non poterit.

REPROBATVR COMMENTVM NEGOCIATOrum *in præscribendo valore nũmorum; id ad principes pertinere; nihil in hoc bonam fidem valere, aut vsum.* Cap. XII.

SED vt funditus hoc vendundę pecuniæ commentum in his cambiis demoliamur, donemusque interim illam vendi posse, vt ipsi volunt: age consideremus qua ratione inculpatè secundum illos ea peragitur venditio. Hác ergo sine peccato fieri affirmant tantum, si nũmorum vltró, citróque iusta æstimatio fiat; qua deficiente meritó damnari; & illam non nisi ad arbitrium boni viri constitui oportere dicunt. At vero ad hunc modum haud scio quo pacto iusta hæc æstimatio habebitur. Bonus enim quisque vir (qui idem probus & pius) vt semper, ita nunc ab huiuscemodi lucrandi artificio continet se, & facto suo tanquam manifestissimo præiudicio illud damnans, minimé hic agere arbitrum se feret. Quam ob rem fiet; vt ad eos relegetur censuræ huius arbitrium, qui in vsu horum cambiorum versantur. Quæro igitur, an integrum expectare iudicium possis ab eo, qui in propria esse causa deprehendatur? Sed plane non est priuati hominis quisquis sit, non modo insolentissimum factum inducere, sed nec etiam appreciare nummos vt habeant inde alii, vnde ęquam istam æstimationem definiant. Publici enim magistratus, & legitimi principis interest recta cum ratione quantum fieri potest, nummis precia definire, quem admodum aliis etiam in rebus oportunissimum fore vt facerent, in præcedentibus indicatum est. Quod cũ ita sit, vt mox abundantius confirmabo: viderit interim etiã quàm infirmo fundamento nitatur, quisquis ad honestandum, de quo agimus, cambiorum genus ita ait: Quæ iniustitia, aut culpa est, si scutum tradens quod valet nunc solid. 66 vt à mercatoribus in foro appreciatum reperio, ad nundinarum tempus, & in loco, vbi illę habentur, reddendum mihi peto valentem secundum quod eo tempore ab ipsis mercatoribus fuerit decretum? Nihil hic ego astu (inquit) sed

vulgatam

vulgatam æstimationem sequor bona fide, casum etiam futuri subiens, cum incertum habeam quid valiturum sit ad præstitutum tempus. Neque verò verisimile esse, si culpabile hoc factum esset, quòd tam in apertum ac publicè per omnes ferè christianorum regiones exerceretur, quin potius tùm ex eo, quod ab his, qui rerum potiuntur, ei non contraitur tùm ex consuetudinis iure iusta istæc negociatio esse existimatur. At ab istis enim ita quærere iuuat. Primum: quæ sacrosancta lex potestatem mercatoribus & nundinatoribus facit, vt ad suum arbitrium monetæ precium statuant? an id ex euangelio habent? an ex Mose? an ex canonibus ecclesiç? an denique ex codicibus imperatoriarum legum approbatarum? Lege vniuersa hęc, nusquam his istam esse facultatem tributam reperias: propterea quòd (vt iam dixi) legitimi est principis, & eius, vel eorum, qui ipsius nomine iure funguntur, decernere, quanti censeri debeat à subditis, & haberi in precio hæc vel illa nummorum species. Cuius rei illud euidens esse argumentum potest, quòd nomina, insigniaque varii generis ipsorum sua, in ipsis nummis imprimi faciunt. Atque hinc impudentissima confudit ora Dominus *IESVS*, dum calumniosissimè rogaretur, dari nec ne census Cæsari deberetur. Quid me (inquit) tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Ac producto illo, cuius (ait) est imago hæc, & superscriptio? Dicunt: Cæsaris. Reddite ergo (contra quàm sperabant, intulit) quæ sunt Cęsaris, Cęsari; & quæ sunt Dei, Deo. Ad Cæsarem ergo, ad legitimos principes (vt dicebamus) crescere vel diminuere pecuniarum precia, atque adeò illis interdicere iustis de causis dicimus pertinere, quod vetustissimus etiam, atque vniuersalis continuusque vsus abundè probat, minimè autem ad priuatos, multòque minus ad eos, qui etiam hac via, ac lucrum captandum, hanc sibi licentiam vsurpauere. Quis hic auaritiæ morbum non agnoscat? Quo vero spectat priuatorum voluntate tot variationibus numismatum valorem subdi; nisi vt hoc artificio incertitudo illa futuri, quæ in excusatione affertur; non in damnum, sed emolumentum ipsorum vergat? Iuuat autem exponere quo modo hic valor constituatur. Certi quidam enim multiiugarum nationum homines Lugduni (vt aiunt) ac potius Bezensoni nunc, siue vbilibet, ex negociatorum numero, statis temporibus, suopte non cu

Matth. 22.

iusque

iusquā prætoris, edicto simul cōfidentes, post nōnulla colloquia posteaquā acutis ratiociniis technas suas, vnde lucrātur, probè discusserint, vt ne, quo ad eius, sine lucro peragantur: valero (inquiunt) scutum ex marcha per Genuam 69. per Londinum (exemplo dictum sit) 70. De tripode oracula hec scilicet: atque vt Plebiscita, Senatusque consulta promulgāt. Igitur cum istam sibi auctoritatem vsurparint, & iniquè in vsum traduxerint, etiam hinc certè iniquum erit, ad horum sanctiones commercia nummorum exercere. Vbi enim putre est fundamentum, ibi nulla exędificatio firma erigetur. Fac vero etiam vt Cæsar, aut Rex ac principes aliquis in suo dominatu potestatem, de qua dictum est, quibusdam faciat; haud propterea hæc cambia ab iniquitate vendicabuntur. Tantisper enim hominum decreta honesta haberi, & qui secundum illa actus suos instituerit, inculpatum censeri oportebit, quandiu quidem Dei cum primis, ac naturæ legibus, & secundum rectam rationem moribus, & consuetudinibus vniuersaliter, & infinita diuturnitate consentiant. Quòd si ab his dissentiant ac repugnent; confidenter, omni tamen cū modestia obseruanda esse negamus, & iniquè facere qui obseruent, fatemur. Quod quidem pluribus confirmare haud necesse esse nunc censeo, cum cuiuis, qui non sit insanus pręclarè intelligatur. Cum hoc ergo ad hunc modum pecuniæ cōmercium inauditum, insolens; & quod significantissimam vsurarii facti speciem retineat, culpatum ad nostra ferè vsque tempora semper ab optimo quoque habitum sit, frustra hisce negociatorum commentis, etiam cum principum auctoritate, qui in ædificationem, non in destructionem communis boni, animorum præsertim, præficiuntur, iustè exerceri illud contenditur: neque vlla ratione hac in parte excusare bona fides potest, quæ in mala fide, & iniquitate inhæret; præterquam cum quis omnium horum omnino ignarus extiterit.

MONETAM DVO PRECIA IVRE NON HABERE *neque excusari iniquè facta, quòd impunè fieri sinuntur.* Cap. XIII.

HINC etiam apertum fit haud iure sustineri id posse, quod multis persuadetur, duo videlicet precia monetam habere, alterum legale, alterum mercatorium. De facto enim hoc ita accidere non inficiamur quidem, sed factum istud contra ius fieri ex iam dictis constat: qui vsus, non inculpatus vsus, sed abusus nefarius meritò vocandus est. At qui reclament, aut castigent hæc, non videmus: imò verò dum ita dissimulatur ac tacetur, pro inculpata consuetudine approbari videntur. Addam ego uerò: quid si & hac via quidam principes suis ipsi commodis, & cupiditatibus prospiciunt? vt & in his communionem habere non dicam? Quid porrò si etiã alius generis factis nefariis conniuetur ab his, quorum partes essent, eis, ne impunè grassarẽtur, nõ modo voce occurrere, verumetiã omnimoda auctoritate? Quid si officio suo desunt, qui officio incumbere debeant? Quid tum denique? Vindicabit tamẽ, vindicabit procul dubio suo tempore is, qui præsertim cum pastoribus siue ecclesiasticis, siue laicis somnolentis non dormitat: qui in summa, quò minus de sceleribus pœnas sumat, nullo affectu atque commodo mouetur.

CONTRA EOS, QVI PER INNOMINATVM NEgocium sicca cambia tueri volunt; nimias argutias doctiorum interim ansam porrigere delinquendi; frenandas cupiditates, non illis habenas remittendas.
C. XIIII.

IAM verò, qui, vt hæc inculpata cambia faciant, nescio quod innominatum negocium præter mutuum, ac venditionem esse volũt: ad eos præterea dicimus, vt viderint an verè sine nomine vllo sit, quod ab iustitia, & honestate proficiscatur. Non hic mutuũ (inquit) intenditur, & nihilominus se facere, quàm mutuari, dum ita nego-

Cambiu no ee contractu inno-minatu

negociantur in nummis homines dicunt: sed hic petit ab illo sibi Genuæ per hoc cambium dari cētum, quæ postea Bezansoni ad constitutas nundinas assignari per literas faciet, cui ipse campsor qui prior dedit, volet. At enim quid verba cauillemur, cum forma rei inesse deprehenditur? Nos miseri, ad quos, cum vt ad nullos magis, lex Domini pertineat, qua inter alia iubemur, vt dum mutuò damus, nihil inde speremus: nescio qua tamen ratione, dum magis nos, atque lucra nostra amamus, q̄ (ausim dicere) Deum ipsum, sub extraneis nominibus, ac fucata specie negocii, mutuum dantes lucrari affectamus. Ac verò dum intentus in hac consideratione persisto, vt citra cuiusquam inuidiam, quod sentio dicam, videtur in hac tota causa mihi, plurimum valuisse hominum subtilitates, eorum præsertim, quos eruditionis existimatione tanquam duces, cæteri quique, cùm audire, tùm sequi solent. Hi enim dum nimia quadam indulgentia malè affectis animis mederi (ne quid graue dicam) incumbunt, argutis adinuentionibus, & artificiosa distinctionum doctrina, non raro (quod bona eorum venia dictum sit) rimas aperiunt delinquendi; atque vbi minus oportuisset, securas hominum cōscientias reddunt. Esto damnetur animus, qui vbi non est cur timeat, formidat, neque fingendum sit vllo modo in crimine certo esse, quod culpa, aut reuera caret, aut sit nec ne crimen, non parum dubitatur: Certè (vt liberè meam in hac parte sententiam prodam) cauti atque prudentis in christiana disciplina doctoris fuerit, habenas & frenum carnis (quæ ad patentem cupiditatum viam currendum, prçsertim nostro hoc sæculo, multo facilimè incitatur) pressius stringere; & ab eo, in quod, etiam si certus casus non apparet, præcipitium tamen facilè patet, cū temeritas, & affectus stimulos etiam huc addant, absterrere omnino; ac saltem sub silentium mittere, quæ maiore periculo explicantur. Quis adeò vere probitatis ignarus (heu) non perspicit, vt paruifiant peccata? Insignia namq; & grauia (quç in vniuersum mortalia vocant) modò deuitent, minima cæterorum cura habetur.

NON

NON LEVE ESSE PECCATUM, LEVIA QVAE *existimantur, non curare, vt caueantur peccata.* Cap. XV.

STVLTOS nos, ne sceleratos dicam, qui leuia esse facinora ducimus, quibus voluntati cõtrahitur Dei: & quia leuia existimamus, vt cõtineamur ab illis, nulla est solicitudo nostra, sed susque deq; ea cuncta ducimus. Grauissimam hanc ego quidem negligentiam, non itẽ leuem putem; qua prudentes committere non veremur in Deum. Quæro ex te: Si quem germanitus ames, quicquid ipsi displicere intelligis, num tute summa diligentia caueris, siue graue illud, siue leue ex se iudices? idq; impensius; quo de te dilectum illum magis meritum agnoscis? Deum autem, qui primum ob ineffabilem maiestatem, nunq̃ satis amari, ac venerari potest; mox qui omni numero, & magnitudine superiora nobis bona confert, vt respondere illi nunquam vsq̃ possimus: Deum inquam offendamus nec ne p actiones nostras omnes animaduertere non damus operam? Hoc ne amoris est quæso? Hoccine gratiæ, & pietatis, erga benignissimum illum & optimum? Hoc saltem hominis sani ne est? Quare maximé aperitur prauitas nostra, traducitur manifestissime christiani populi peruersitas; qua indigni ne dum, vt vel istam sensibilem lucem perspiciamus. contra potius dignissimi quibus de, inauditæ pœnæ sumantur, deprehendimur. Quid autem est oro, quod ea in Dei conspectu efficere nullo pudore nobis temperamus, quibus in præsentia amicu li fortiter abstineremus? Ita parentem lætali vulnere ferire, parricidale facinus duces, alapis autem, aut calce si cędas, lusum, minime've indignum factum existimaueris? Vt prius illud, omnem immanitatem nequitiamq; exuperet, castigãdum etiam posterius seuerissimé, & á probo filio omnibus viribus ne committat prouidendum.

✠

✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DIFFERENTIA LEVIVM SIVE VENIALIVM, *peccatorum, alia facile, alia difficiimè dilui: nostra secula tenebris circunfusa esse.*

Cap. XVI.

LONGE aliud profectò est, ex fragilitate, aut
ignorantia in venialia, quæ vocant, errata di
labi, sine quibus hæc vita nostra non ducitur
Prouer.24. dicente scriptura: Septies in die cadit iustus:
quo nomine etiam a benignissimo Saluato
re docti sumus quotidie precando dicere: Di
Matth.6 mitte nobis debita nostra; aliud autem scientes, ac prudentes
Luca.11: perpetrare illa. Etenim priora ea longe facilè pientissimus
indulget Pater, quamplurimisque modis ab illo illorum ve-
nia obtinetur: at quæ facti conscientia committuntur, diffi-
cilimè dilui equidem dicam. In causa aio verò, nõ ipsa leuio
ra delicta, sed istam animi constitutionem consceleratã, quæ
nullius pensi ducit, vt vel leuiter à se offendatur Deus. Pro
peccatis omnis generis expiandis, ille quidem ignominiosissi
mè agi in crucem voluit. Quantum ergo in se est, tantũ be-
neficium inefficax reddit, atque contemnit, qui ab his cum po
test, temperare se nolit. Quid amplius contra hanc, negligen
tiam'ne dicam, an iniquitatem nostram? quæ vsque adeò vni
uersos obsidet nos? qui quicquid bonorum habemus, ac spe-
rare possumus, ab vno illo, erga quem tam indignè nos habe
re non pudet, percipimus: qui etiam si in summa boni scien-
tia luceq; nobis versari videmur, nocenti tamen ista caligine
ita nunc obducti sumus, vt non rem leuẽ esse perspiciamus, e-
tiam leuissimis in rebus contra Dei Opt. Max. voluntatem
non inscios delinquere Et quidem si vllo tempore vnquam,
modo certè densæ tenebræ, carnisque regnum longe lateque
occupat; & non falsò dici potest completum esse nostro sæcu
2.Timot.3 lo, quod Diuus Paulus scripsit: In nouissimis diebus (ait) in-
stabunt tempora periculosa, & erunt homines amantes seip-
sos, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedien-
tes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incõ
tinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumi
di, voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes quidem spe
ciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Nunquid à
peritissimo pictore imago proposita melius, atque ab Aposto
lo,

lo,mores nunc nostri,expresi fuissent? In hoc ergo statu degentibus nobis,præcidenda, non offerenda maioribus malis est occasio. Et corporum medici,qui salutem ægrotorũ, non aurum amant,solicite edicunt,imperantq́;,vt non solum à manifeste noxiis temperent,verumetiam ab his,quæ innocue sumere incolumes possunt. Quid igitur in re animæ faciundũ, quæ sexcentis nominibus corpori anteferenda est? Sed nos tandem cohibere decet,& ad institutum longiore digressu intermissum referentes nos,illud primum quod antè dicere memini,rursum commemoramus. Si pietatis christianæ est, ac religiosi animi,culpam vereri vbi interim ea non fit, & ab his actis abstinere,quæ tametsi ab vno,aut altero carere culpa existimantur,à pluribus tamen non minus doctis,q̃ probis vitiosa censentur,quanto magis cauere ea decet,quæ solidis rationibus probantur iniqua?

COLLIGITVR IN SVMMA CAMBIA SICCA VSVrariè,& minimè ad communem vtilitatem, sed propriam exerceri. Cap. XVII.

QVAE cum ita sint (vt ad id quod proprium maximè nostræ est causæ veniamus) cur est quæro, quod præcipitii periculum, atque adeò casus ipse in tantum amatur, vt cambia ista, quę fortioribus argumentis, ac verioribus iniqua probantur, tanquã iusta, eo quòd ad venditionis, aut innominatum negocium nescio quod, reduci posse existimatur, mordicus approbare, & in vsum habere volumus? Atqui probatum abundè fuit non tam nostris,quam secundum grauissimorum doctorum doctrinam, atque adeò ex ipsa rerum natura deductis argumentis primũ si ad vllum negocii genus referenda sint; omnium potissimum mutationi conuenire. Nam in his propriè permutationem esse omnes ferè negant: & licet per accidens ea intercedat interim, propter varium genus numismatum, ex varietate locorum,vbi vltro citróque assignantur: non hoc tamen est, quod cambiatores isti præcipuè facere sibi præstituant, sed ex nummorum isto mercimonio lucrum percipere. Dein si mutuum hic maximè esse constat, cum etiam de fine lucri constare nemo non videat, constet necesse est iniustè vsurarie

que illa exerceri. Quid autem in dubium voces, vtrum nam supra sortem lucrifacere isti ad hæc cambia addicti, intendant quin, & re ipsa lucrentur? quandoquidem iuxta regulam: Quod patet expressé, non est probare necesse? Egregie dissueuissent (crede mihi) ac minimè frequentarentur, si absque lucro fierent. Non enim caritas illa, ac studium publici boni ita istos obtinet, vt etiam si non lucrarentur, ad communem tamen vtilitatem ipsa exercerent. Nam & hinc, inculpatos istos quidam affirmant, quòd pro bono publico principaliter, saltem tacitè, deinde pro proprio ad honestum finem cambiis vacant. At hæc ratio certè non multo labore cadit, propterea quòd non publicam vtilitatem, sed suam ipsorum principalem præstitutam habere in hac lucrandi arte, vel ipsi nisi negare verum velint, fateri cogentur. & verè tacitam habent ipsius publici commodi intentionem, de qua vix fortasse cogitare illos contingit. Si ergo, quod dicebamus, absque proprio lucro & commodo peragerentur ista, non ita diu tollerentur de medio: sed quia per hæc, breui, neque ita periculosè, seu etiam minus cum labore, non parua fit lucri accessio, cæteris negociis ferè omissis (vt apertius falsum intelligatur esse quod aiunt, istæc perutilia publicè commerciis esse) ea plurimo habentur in vsu. Quid denique tam multa contra hæc redarguenda coaceruamus? quocunque nomine appellentur, cum non nisi pecuniæ dentur hic ac reddantur, siue hoc Genuæ, siue Mediolani, siue per eundem, siue per varia loca faciant, siue eiusdem, siue alterius generis fuerint illæ: & cum in vniuersum periculis, vt res cæteræ in negociatione non subdantur, coniuncto his semper proposito ac spe lucri; qua ratione, christiano homine quæ digna sit; vt ne vsurariè transigantur, atque indelebili iniquitatis nota ne inusta sint, & in summa damnentur, defendimus?

CONFVTATIO OPINIONIS CVIVSDAM MAGIstri de arte campsoria. Cap. XVIII.

Ad alia nunc mihi transeundum esset, nisi scrupulum quendam adhuc amouendum in hac horum cambiorum causa, reliquum factum viderem. Expendere enim antequam de hac re finiam, operæprecium existimo nonulla cuiusdam, cuius in cambiis ingens existimatio & auctoritas habetur, quibus artem hanc campsoriam (sic enim vocant) approbare præse fert. Sic enim ille habet: Ars campsoria (inquit) quamuis à philosopho vituperetur, & ratione materiæ, quia tantum numismata tractat, à proprio numismatum vsu diuertens: & ratione finis, quia lucri gratia quod fine caret: & vtriusque simul, quia pecuniæ (vt instrumenta Oeconomicæ & Politicę) habendæ, querendæque sunt non propter se, sicut nec quodcunque aliud organum propter se appetitur: si tamen ex hominis campsoris fine (ait) honestatur, vt potè ad familiæ, & status sui decentem sustentationem ordinata, licita est, quemadmodum & aliç negociationes. Addit mox confirmationem, quam inde similibus illustrat. Ac primum quidem, si in vniuersum huius verum sit argumẽtum; æque non minus cohonestari poterit & ipsa manifesta vsura. Quis enim, rogo, ad familiæ (vt ait) & cõdecentem status sui sustentationem, adde & ad beneficientiam in egenos, vt in finem, vsuras perditissimus referre non posit? quo quid absurdius? Nam quod formam mali semel habet (quod ad actus nostros attinet) nisi ipsam formã exuat, nunquam vt sit bonum, ob cuiussuis honesti finem sequetur. Alioqui adulterari liceret saltem (ne plura) ob tuendam vitam. Iam quod de occisione hominis affert, sophisma est. Non enim propriam homicidii formam, quo Dei lex vniuersos interdicit, actus ille simplex occisionis retinet, dum secundum leges facinorosus homo occiditur: sed iustitiæ opus is erit ac iure dicetur, quod perinde ex Dei voluntate efficiendum. Tale erat, quod certè peragere destinarat Abraham, vnde laudem amplissimam est consecutus. Quòd vero medendi artem probro dignam affirmat, cum lucri gratia exercetur à medicis, hallucinari hominem acutissimum alioqui, quis non adeò miretur? At quantò (vt ad hominem, Isaiæ. 22.

quod

quod dialectici aiunt, interim arguam) sexcentis conuiciis dignioremcampsoriam artem, quę ad lucrandum destinata, insolentissimè pecuniam in commercio habet? Cæterum si quę per se bonæ sunt res, abutantur, non est in rem ipsam, sed omninò in abutentium animum reiicienda culpa. Semper autem honesta est, & cum laude ipsa ars medicorum: in crimine verò illius abusus, & adeò mens auri sitiens. Hoc certè paralogismo; & philosophia, & Theologia nostra explodatur necesse est: quandoquidem non parum multos philosophari, ac theologari (vt hoc insolenti verbo vtar) peruersissimè vtinam non videremus. Non est ergo quod ex Aristotelicis commentis, artem campsoriam indefinite fine bono vllo honestam reddere contendamus: sed prudenter distinctum oportebat, quando inculpatè & honestè, quando nefariè ac turpiter, nè pueriliter fallacia de dicto (vt aiunt) secundum quid, ad dictum simpliciter incurratur. Quemadmodum ergo venditionis negocium ipsum, non toto genere vel approbatur vel improbatur, ob finem videlicet illum bonum aut malum, cuius gratia lucrum per ipsam venditionem exquiri vsu uenit, sed ob res potissimum quas circa exercetur: Id enim tum honestum est, cum de rebus necessariis, & commodis rationabiliter humanæ vitæ habetur; turpe autem quoties de rebus, quæ vt oleum flammæ peccatis incendium sufficiunt: Sic nimirum de arte campsoria statuere oportet, vt neque absolutè damnetur, neque etiam absolutè comprobetur: Approbari autem vltrò assentimus, atque adeò commodam neccessariamque dicere non veremur, cum priuatim tū publicè per duo realia illa, ad minutum alterum dictum, alterum per literas. At in hoc tertio genere, quod Siccum ex multorum auctoritate doctiorum continenter appellauimus, commodissima facta est illa quidem, sed minimè citra nefas; vt abunde est demonstratum.

CAMPSORIA ARTEM IN SICCIS CAMBIIS *esse detrimento Reip.* Cap. XIX.

QVID, quod etiam, in hac parte, ea ars contra id quod in ipsius defensionem arguunt (vt pauló ante indicaui) perquám detrimentosa esse conuincitur? Quamquam enim pecuniosis istis præsertim, opum augendarum commodissimum instrumentum esse experitur; in vniuersum tamen, damna ingentia Reipúblicæ importat. Testis (ne longe exempla petamus) ipsa nostra RES: in qua horum cambiorum gratia (præter alia) cæterarum rerum honesta negocia, maiórem in modum dissueuere. Etenim cum hisce deploratissimis sæculis nentiquam tutó, sed summis cum periculis per varias regionum oras commeare negociando homines possint; contra per hæc cambia, facilius, minore labore, extra pericula feré, & non ita diu, non mediocria lucra reportent, hucse toti dedentes hi bene nummati cumprimis, ab his negociorum generibus, quibus populares & manuarii artifices plurimum iuuantur, egregié abstinent. Vt igitur paucis (ad totam multitudinem) plurimum emolumenti afferre, ita frequentissimi vt damna incurrant, in causa esse isthęc sicca cambia comperiuntur. Separandum ergo preciosum á vili, neque confundenda est cum honestate turpitudo, quia vę dicitur illis qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: quod, ne quando fiat, cum Dei gratia, omni ratione cum optimo quoque prouidendum. Isa. 5

Cæterum ne plus nimio præsens liber excrescat, quæ præterea dicenda habemus, in sequenti explicabimus.

DE LATISSIMO AVARITIAE DOMINATV

LIBER IIII.

PRAEFATIO.

NOS quidem lector, cambiorum Siccorum iniustitiam demonstrasse quantum sit satis, arbitramur, & credimus, idque verò non ita artificiosa oratione, sed euidentibus ac certis (nisi fallor) argumentis, quæ ex ipsa rerum natura, ac incorrupta ratione, & secundum christianam potius, quàm exoticam aliam philosophiam, deduxisse nobis videmur. Ac (vt per summa quædam capita, quæ in hoc speciatim argumento discussimus, referamus) explicatum est nobis pecuniam esse, quę vænundandarum rerum, vel quo quo modo commutandarum, precii sit moderatio, ac regula, secundum quam res ipsæ iustè commutantur. Ad hunc ante omnia usum percussam illam, atque signatam, & hoc nomine commodo negociationi esse: negociationis item gratia permutationes inter se nummorum fieri, transuehique illos sæpenumero ex alio ad alium locum: neque ipsam pecuniam propriè negociationis genus habere, sed instrumentum negociationis ipsius potius esse, eique subseruire. Ex permutatione reale illud simplex, quod ad minutum vocitatur, ex transuectione autem, quod reale per literas dicitur, cambiū haberi: quæ duo genera ex se cōmoda, & inculpata, cum publicè cum priuatim esse confirmamus. Hæc autem sicca, vt vt proprium negocii genus facta sint, atque adeò vtcunque alii ad alia genera reduci velint, quantumlibet varientur, vel appellationibus, vel peragendi modis, si tamen ad vllam negociandi speciem coniungi habeant, omnium maximè ad mutuationē

tuationem pertinere comprobauimus. Probauimus ad hoc, vendi reuera per se pecuniam haud posse: incidere sæpe tamẽ, vt per conditiones nonnullas augeri, aut diminui de ipsius legitimo precio aliquid appareat; pro materia autem vendi posse, quamquam illud rarissime contingat: publicæ autem potestatis interesse euidẽs fecimus, nummis precia præscribere: neutiquam vero priuatorum hominum, præsertim auaritiæ incumbentiũ. Quod si fieri vsu venit, illud abusum esse, atque correctione dignissimum. In summa, dicta hec sicca cambia inique fieri, & lucrum inde omnino iniustum esse, quod prorsus restituendum sit; confirmauimus. Qua te optime illos colligere, qui non nisi in fraudem vsurarum excogitata ea, & barbara hac voce, & de vulgo sumpta, vsuram ipsam continere, non tam interpretatiue, q̃ vere, affirmant. Vnde nummulariorum artem siue campsoriam, quam duorum aliorum generum gratia honestam vltro assentimus, dũ in hoc tertium genus incumbit, iustissime improbari, damnarique palam factum est. Et licet priuatis quibusdam percommodam illam; at generatim ciuitatibus, Rebus publicis plurimorum damnorum causam habere. HAEC fere, quæ nos varie in præcedentibus de hac cambiorũ tractatione disserere opportunum fuit, quamuis alia dicenda haberentur, quæ in magis ipsorum propria disquisitione produci potuissent.

DOMINATVM AVARITIAE ARGVI ETIAM EX *vsu frequenti siccorum cambiorum apud mulieres, strictim que exponitur de ærario, quod Diui Georgij dicitur.* Cap. I.

HAEC igitur cum ita sint, vt ad nostrũ de principio iamdiu constitutum propositum referamus nos, collectis itidem cæteris omnibus, de quibus in præcedentibus tribus libris varie p tractauimus: constanter probatum nobis relinquitur, quod ab ipso dicendi principio constituimus; immanissimum tyrannum auaritiam, longe lateque dominari in nobis. Nam præter tam multa commemorata iamdiu indicia execrandi mali huius, quotus quisque est qui (modo possit) ad hæc dicta cambia manum non mise-

L

rit? Taceo verò circa ipsa infandas abusiones, quæ ab aliis præclarè exposita, & peroptimè damnata fuerunt. Omnes ferè, non solum viros, sed etiam fœminas, quæ aliquousque re præstant, hisce peruti cernimus. Et enim (vt vnde ansam nonnullam præripere videntur istæ, exponam) cum ex diui Georgii comperis, locisque (vt vocamus) nunc ea emolumenta non percipiantur, quæ ante: ad hæc, cum ob calamitates, ingentiumque malorum procellas, quæ paucis, imò non iam paucis, sed multis ab hinc annis nos obsidét, ingenti discrimini patere id ærarium videatur; vt quà possunt rebus suis propterea consulant; diuenditis locis, ac paghis, quę possidebát, & quæ præterea apud se pecunias aliis modis retinentes, in idem repositurę erant, ipsas in vniuersum pecunias ad hæc cambia conferunt. Longum valde esset, neque etiam opportunum, qua ratione moti maiores nostri hoc Diui Georgii ærarium instituére; & quæ sit illius forma, instituta, leges. Hoc tantum dicam: tametsi de principio constitutum fuerat, vt commoditatibus, atque impendiis eorum, qui ea tempestate rerum potiebantur, inseruiret; in sequentibus tamen annis communi omnium vtilitati, maximè mulieribus, præsertim verò viduis, pupillis, atque monachorum sodalitiis esse, experientia ipsa intelligebatur. Nam, vt cæteris omissis, de mulieribus dicam: cum semotę hæ sint à negociis, & ob sexum eas domi cum verecundia, atque omni honestate degere, publicum fugitantes, præstet: hac via prospici suis impendiis non incommodè videbatur. At verò quia eius ærarii prouentus ex vectigalibus maxima ex parte colliguntur; vectigalia autem ex negociorum defectu diminuta, minus respondere contingit: contrà ob bellorum tumultus frequentiores in militum stipendia, & alios bellicos apparatus, inde plus solito expendi necesse cum sit, parum admodum relicta illic pecunia, vnde cæterorum, quos diximus, vsui occurri possit, addita suspicione (vt dictum est) publici illius ærarii, ne aliquando disturbetur: ideo ad hæc cambia ipsę etiamnum fœminæ manum iniecere. Quid nos hic dicimus? Nempe honestum esse necessariis suis prouidere, sed ante dispiciédum ne modis iniquis id fiat.

CHRI-

CHRISTIANI NON ESSE HONESTATI VTILItatem anteponere, iniquitati occurrendum esse, cuius gratia Deo procurante aduersa nos premunt. Cap. II.

INFIDELIS quidem, & is, qui virtutis, ac vitii ignorans sit, excusari fortasse posit, si quādum rerum indigus sit, honestati vtilitatem anteponit. sed quod christiani hoc faciant, omnino absurdum, atque vitiosum est. Si iniuriam censet homo tantum philosophus, vt in naufragio sapiēs tabulam de stulti manu extorqueat; qua, si posit, euadat: quanto magis a nobis, & iniuria, & omnis turpitudo cauenda fuerit? neque ob vllam vtilitatem facinus cōmittendum? Vices nostræ fuerint (si homines sumus quidem) deplorandæ; qui turbinibus istis expositi, ab omni prope angulo cum molestissimis rebus obluctamur. Sed his remedia perquirenda erant, non ea mala augenda. Vnde quęso tanta est malorum, quibus premimur, moles? Vnde perturbationes? calamitates? vnde rerum pene omnium tam ingens defectus? Hoc expendi peruestigarique erat dignum; & agnita causa, quę certe haud intime latet, pro virili, vt precideretur incumbere. Et diximus alias iam, & neque dum repetere piget: non casu, neque vna modo regum ira, ac libidine, sed ante omnia, quod innumeris modis, maxime vero perditissima habendi cupiditate in Deum nostrum iniurii sumus, miserabiliter exagitamur. Hæc vera mala, hæc extimescenda, ac omni robore propulsanda sunt, quibus quidem magis, quam externis hisce, quæ vere piis incredibiliter commoda sunt, proindeque non reuera mala, circumfusi sumus. Hęc igitur origo, ac fons calamitatū nostratū, vt cohiberetur restinguereturque, vigilantissime danda opera erat: non item scelera sceleribus vt committerentur. Hoc addere oleum camino esse quis nesciat? & iram Dei vltionemque in caput nostrum accessere vehementiorem?

COTRACTVS PECVNIARVM CVM PRINCIPI-
*bus insigniter auaritiæ tyrannidem prodere: multum à maiori-
bus præsentes differre, vel mortis meditatione
restinguendam habendi cupidita-
tem.* Cap. III.

At verò cur sub silentio prætercam significantissimas illas quàm quæ maximè, notas auaritiæ atque acta, quibus diuites nostri cum principibus ác regibus vtuntur? Aperta enim cum in eis sit vsura, ac turpissimum lucrum, nullo tamen pudore christiani obeunt. Dant Cæsari, dant huic aut illi principi bene nummati ciues myriadas aureorum, ac pro centenario quoque 20. aut 30. aut 40 etiam insuper vt percipiant in pactum conueniunt. Heu indignitas. Quid tantum auaritia dementati sumus, vt manifestissimum scelus atque infandissimum facinus non solum non abhorreamus, verum etiam studiosissimè faciamus? & cælare malum fortasse sibi videntur posse ficticiis quibusdam nominibus, & conditionibus simulatis: sed fucum facere ne dum Deo, sed nec sano quidem homini, haud vnquam præualebunt. Hinc potissimum, vt iam dudum pessimè audiamus, & hac nota ignominiæ plenissima, ab cæteris christianæ Reipublicæ populis ac nationibus, non aspersi modo, sed impressi tanquam indelebili signo penitus frontibus ludibrio, probro ac sannis cunctorum pateamus. Modestos ac pios se Iudæi præ nobis euincent, si nobiscum comparentur. Simulacrum desolationis à scriptura memoratū,
1.Math. 1
Matth. 24.
si quis inter nos erectum dicat, quis contradicere iure poterit? Simulacrorum seruitus (teste Paulo) auaritia est. quod
Eph. 3.
Coloss. 3.
si non hinc illa patet, nescio an aliunde coargui iam possit. Nemo verò pluribus verbis atque argumentis damnatum castigatumque iri à me speciatim hoc facinus expectet. Plusquam satis apertum illud extat: & qui vlla religione tenetur horret, abominatur, ac fulmine dignum censet. Non ita pridem (vt hoc tamen præterea commemorem) conuicio erat, & digito ostentabatur: qui lucri gratia coemebat paghas, & apud maiores nostros, tantum non vt vsuræ vacans vitabatur, & in cœtu proborum fere non admittebatur. Quid, si e tumulis excitati, ita vsuris vt honestis negociis operam im

pendi ternerent, agerent quæso? Admonet Diuus Paulus, 1. Cor. 5
præter alios, vt cum auaris ne cibum quidem sumamus: at
hi quos dicimus, in oculis ferè omnium habentur, atque ma
gnifiunt. Non est ergo, non est, quamobrem dicere possi-
mus, perniciosissima auaritiæ contagione infectos non esse.
quacunque parte conuertas oculos, quisque auaritiæ studet,
à maiore ad minorem; & indignè admodũ aquis istis pesti-
lentibus immersi iacere cernimur: quo fit, vt ira Dei & eius fla
gella grauiter nos pulsent, & maiora certè impendere dino-
scantur. Igitur si dolemus, si votis desideriisque, si voce, ser-
mone, scriptoque, si denique virtute omni qua possumus cu
ramus, contendimus vt tantum malum agnoscatur, agnitũ
vt curetur, opera adhibeatur quam studiosissimè: non inso-
lenter, non ineptè, non improbè facere nos existimare quis de
bet. Quid est quod tantopere christiani in rebus atque fortu
nis augendis acquiescunt? qui se hic peregrini esse, patriam
verò cœlum habere, tantisper autem vt milites, ad nutum
summi imperatoris omnium Domini nostri *IESV CHRI
STI* in tabernaculis commorari intelligunt? Hoc vnum in
summa, quòd nos omnino morituros scimus, etiam si nulla
in explenda hac perditissima cupiditate culpa committeretur
coercere hinc homines fortiter debuisset. Nũc verò cum istud
sexcẽtis modis turpe atq; impium sit, cum videlicet aduersus
naturã, aduersus proximũ quẽlibet feratur, cum nos ipsos fre
quẽtibus malis & corporis & animi subdat: deniq; qđ oĩum
maximè improbum est, cum Dei legi atque voluntati con-
stet aduersari, vt ne memoria quidem eius sceleris audiatur
inter nos, omni studio ac viribus obnitendum est.

BONAS EX SE ESSE DIVITIAS, SED EX COR*ruptione animi fieri exitio possidentibus.* Cap. IIII.

SED amantur diuitię, & ex eis plurima & ma
xima commoda habentur, inquit: quam ob
rem latius in vniuersum de ipsis oportunus
hic mihi locus disserendi cõstitutus sit, & quę
à principio totius huiusce nostræ tractationis
obiici solere diximus, confutandi. Audiat er-
go vel legat, quisquis hæc nostra volet. Quòd bonæ sint di-

uitiæ non negamus, eisque nonnullos, qui Deo placuere, abundasse: & vtilitates multas inde percipi posse etiam scimus. Sed quid, si ex infirmitate atque deprauatione animorum, summo esse exitio deprehenduntur? Et vinum bonum est & salutare, cum modo haustum: sed intemperanter, perniciem afferre nemo ignorat. Ferro autem ac gladio sanus homo tutari se, & adorientem se hostem depellere potest: furiosus vero atque imbellis, eo periculosè vtetur. Quicquid enim summus ille Deus constituit, quippe qui omnia siue in cœlis, siue in terris, siue in aquis, & aere ipso vnus effecit, ne alium præterea commentitium cum impiis ac deliris Manicheis conditorem dicamus: Quicquid, inquam, ille condidit siue cantharides, siue muscas, siue cocodrilos, siue aspides, siue alias penè innumeras rerum atque animantium species; quamquam venenis armata, atque alio quocunque modo perniciosa videntur, bona tamen sunt vniuersa; quod ipsa cuncta effectus sint ipsius Dei, qui princeps illa, & absoluta omnium, atque optima est causa: quæ dum operatur, minime ab alia causa impediri potest, quo minus bonum sit quod efficit. At verò nos in causa sumus, vt quę natura sunt bona, mala, experiamur, qui non suo modo, neque ordine; præsertim dum contagione peccati infecti sumus, illis vtimur. Porrò si cæterorum ferè omnium; diuitiarum potissimum opúque abusus, maximè nocet. Vt enim cupiditatibus aliis pro corrupta natura, inertia, supino studio, quod huc confertur, valde sit difficile modum ponere; habendi appetitum alioqui à paucissimis edomari, iustè vsu venit. Quod tanto magis demirari subit, quod hunc à sapientibus præter naturam esse vt iam diximus definitum est.

PATRIBVS ANTIQVIS OB PROBITATEM ANI*mi haud nocuisse diuitias, ea parte illos imitandos, qui superiores nobis in frenanda auaritia fuere.* Cap. V.

QVOCIRCA illustrissimi declarantur antiqui patres, qui in rerum summa exuberantia, animum ab ea libidine multo liberrimum retinebant. Quid de Abraham dicam? Hunc enim inter alios nobis opponunt. Nam, vt multa alia pręclara argumenta, quod in ma-

ximis opibus paupet spiritu esset, prætermittam: cum á cęde regum reuerteretur, qui expugnatis ac direptis Sodomitarum vrbibus, nepotem eius abduxerant, potitus amplissimis spoliis, tantillum ex eis, qui bonam partem iure belli potuisset, licet vt id faceret penè cogeretur, accipere neutiquam acquieuit. Quid cum sepelire vellet amantissimam coniugem, cum vim tantum non inferrent filii Heth, vt pro voto modestissimus ille citra precium vllum inter ipsos monumẽtum illi condiendæ deligeret, prius ipse nequaquam assensus est, ꝙ iustam pecuniam liberaliter numeraret? Hunc animũ quisquis tm̃ virum ditissimum mihi obiicis, hunc ergo viri optimi animũ fac mihi primũ retineas: mox per me fortassis vt ditissimus essę studeas licebit. Ac Iobum verò illum qui adducis: vide significationem sole ipso illustriorem, animi illius à noxia cupiditate alienissimi. Posteaꝗ omnia, quę ex scriptura nouimus, inuidia, & artibus satanæ amisit, in eã verba deuenit; Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: Sit nomen Domini benedictum. Quæ rupes? quis adeo scopulus, aduersus fragorem immanissimorum fluctuum, constantior hoc animo? Quanti quæso habebat diuinus hic vir tantas copias? Quæ oratio satis laudarę hunc laudatissimum possit? Quot tela haberemus ex huius beatissimi, & verè secundum Deum locupletissimi terrenis etiam opibus, ad nostri temporis diuitum hominum diuitias; imò verò diuitiarum cupidos animos confodiendos? Sed consultò continemus nos. Tantum etiam atque etiam vide quid facias. Non tibi ô bone quod in sensibilibus istis diuites fuerint, siue Abraham, siue Iob, siue quęcunque allegare præterea contra me cures, imitandi erant; sed probitatis atque præclarissimarum virtutum gratia, quę in eis elucebant, in primis vero quòd in affluentia rerum, mentem à morbo auaritię vndecunque liberam habebant. Hei quantum nos infra iacemus? vt nos nostri causa pudere oportet, ruboreque maxime suffundi? Illi in lege, imò (præterquam naturę) sine lege; quãdo non solum permittebantur, sed etiam promittebãtur terrena bona, antequam *CHRISTI* lux, euangelium, doctrina, atque ipsius augustissima exempla vitæ mundo splendescerent, antequam, qui innumerabiles inde edocti diuitias omnis generis contempsere, præiissent; ita tamen ab hac luc

Genes. 23

Iob. 1

longe positi, sublimes conspiciebantur. Nos post illos, post ipsum Dominum, post infinitam optimorum christianorũ multitudinem, quorum exempla obuia habentur; adhuc si Deo placet, auro, & argento inhiamus; bonique nostri summi in his constituere proram ac puppim (vt dicitur) effectis prænobis ipsi ferimus. Non malæ sunt (vt rursum dicam) diuitiæ, sed cum ita nos affecti sumus, toxicum efficiuntur, & toxico atq; aconito quouis nocentiores nobis. Qua re, qui vt ab illis contineamus se ratio docet, optimè cõsulere existimãdum, & cũ qui hunc spernãt, summo suo malo illud facturũ.

INDIGNISSIMVM ESSE NOS AD AETERNA BOna vocatos cum hæbreis summa cupiditate in temporalibus acquiescere. Cap. VI.

Deut. 28. HEBRAEIS obseruantibus Dei statuta, concessa erant latifundia in premium; vbertas (in vniuersum) rerum omnium repromittebatur; nempe q animis nimium puerilibus, crassis adeoq; & carnalibus maximum in modum ad spiritualia (quod generatim dicimus) bona, & inuisibilia attolli nequibant. Assueti enim sensibus, quæ minimè sensibus percipiuntur, ne imaginari quidem poterant. Excipio singulares, ac diuinos inter eum populum viros, qui nimirum sub imaginibus terrenarum rerum, eximia bona nostra sola mente comprehensa peruidebant. At nos ad tantam lucem vndiquaque diffusam, quid cæcutimus? Quid post ostensa, & promissa bona cælestia (vt vno verbo eorum infinitionem complectar) beati his sensilibus, illis postthabitis, nos existimamus? Quòd si Iudæos imitari delectat, cur non circumcidimur? cur non sacrificamus? Alia eorum multa prætereo. Dei cum eximio munere nos illa maneant, quæ nec oculum vidisse, nec aurem audiuisse, neque
Isaiæ. 64. in cor hominis ascendisse cum propheta Diuus Apostolus at-
1. Corint. 2 testatur; à nobis certe hæc visibilia spreta, proculcata, exibilataque oportebat. Si reuera christiani esse volumus, vltro ipsa præterquam, quæ ad tuendam vitam opus essent, contemnere, ridere, abiicere deberemus; ac Iudæis tandem, & infidelibus, & his denique, qui nulla notitia futuræ beatę vitę exculti præsentis duntaxat commoda sentiunt, derelinquere.

AVCTORITATES ALIQVOT PRAESERTIM *noui testamenti in diuites ac diuitia, & quod significet mammona.*
Cap. VII.

SED ne hæc perorare modò videamur, minusque sibi persuaderi diuites nostri patiantur; agedum fortioribus vtamur. Afferamus robustiora diuinarum scripturarum testimonia præsertim noui testamenti, quod veteris culmen est, atque perfectio. Omnia, inquit Solomon, tempus habent, & quæ nunc opportuna cēsentur: mox compluribus connumeratis importuna demonstrat. Tēpus (ait) nascendi, & tempus moriendi, & quæ sequuntur. Ad hāc sapientissimi regis auctoritatem, audi Paulum illum consentientem. Hoc itaque dico fratres (inquit) tempus contractū est: superest vt qui habent vxores, tamq̄ non habentes sint; & qui flent, tamq̄ non flentes; & qui gaudent, tamq̄ nō gaudētes; & qui emunt, tamq̄ nō possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tamq̄ non vtantur. Preterit enim figura huius mundi. Considerare serio conuenit, quibus hæc scribat: Corinthiorum promiscuæ multitudini nimirum, & per eos christianis vniuersis, nulla conditionum, ordinum, ac statuum habita ratione. Permittebantur autem Iudæis (vt iam diximus) temporaria bona, permittebantur iuramenta, permittebatur cōiugis repudium, permittebatur vindicatio iniuriarum: sed vt hæc omnia IESVS meus correxit, ac vt a nobis præstantiora efficerentur sapientissime declarauit; sic & in diuitiarū vsu multa accuratissimé docuit. Audi mihi quicunque nomen ipsi CHRISTO dedisti, eundem sancientem ex auctoritate Patris, quid tibi facto sit opus; ne mea esse verba cauillere. Audi mihi (inquam) primum hoc diuinissimę legis, ac doctrinæ suæ. Amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisęorum, non intrabitis in regnum cœlorum. An non vel hoc vnū nos validissime prosternit? Sed prolixius ad hanc vnam generaliorem examinare sententiam vitæ nostræ modum in præsentia nolim. Videamus, quæ sint nostræ causæ magis propria. Atque illud cum primis animaduerte quem beatum vocet. Nunquid diuitem? nunquid pecuniis inhiātem? Beati pauperes (inquit)

Ecclesia. 11
1. *Cor.* 7
Matth. 5
Luc. 6.

quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini. Esto sit spiritus, atque animi praecipue haec beata paupertas, & esuries: magnum etiam momentum ad eam affert externa ista, vbi spirituali ipsi coniuncta fuerit. Quod vt manifestius cognoscas, in Lucae euangelio, simul vt, quae adduximus, protulisset, post beatitudines ceu ex
Luc. 6. iusta antithesi, adiunxit: Verum tamen vę vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Vę vobis, qui saturati estis quia esurietis. Audin'tu diues meus? Audin' qui tot, tantaque cōmoda opum mihi denarras? Vae illis dicit. At quid in illo vae contineatur, vel cogitatione complecti totus exhor-
Matth. 5 rescit vere pius. Sed mecum insequere in verba sapientissimi magistri. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Ad haec post aliquot verba: Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Iam ne diu multumque animi penderemus, de quibus diceret Dominis ignari, confestim addit. Non potestis Deo seruire, & Mammonae. Quid autem significet Mammona, nemo scripturis sanctis, atque doctrinae ecclesiasticae, vel parum assuetus, ignorat. Syriaco enim atque Chaldaeorum (quem dicunt) sermone, id vocis, substantiam, opes, diuitias significat. haec enim eorum vox est. ממונא Porrò audi illud, quo ceu robustissimo ariete deiiciuntur quicunque praetextus, quos humana calliditas ad tuendas opes, & earum cumulandarum cupidinem cōstru-
Matth. 6 xit. Ideo dico vobis ne soliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. quod axioma posteaq́ varie, & fortiter confirmauit, ex prestantioribus iam citra curam vllam nostram, sed Dei optimi parentis vna benignitate acceptis ab exacta illa, atque indefectibili ipsius Dei prouidentia erga ceteras creaturas, quibus nos incredibiliter praestamus; & ex eo etiam, quod frustra sine Deo nostri huc conatus adhiberentur, egregiè complectens, repetit denuo: Nolite ergo (inquit) soliciti esse dicentes: Quid mãducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? atque hoc factum indignissimum esse christiano, vt demonstraret, plurimumque de Dei gloria, & beneuolentia erga nos detraheret: Haec enim omnia (ait) gentes inquirũt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Sed ô augustissimam, & vndecumq; perfectam

fectam domini nostri doctrinā. Ostenso luculentissimè quid
cauere oporteat, breuissimè, atque apertissimè quid agere de/
beamus declarat. Quærite ergo primum regnum Dei, & iu
stitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Satis abundeq;
nos quidem docuisse hucusque videri potest; sed nō satis ha
buit salutis nostræ studiosissimus Dominus: penitus infixam
norat nocentissimam cupiditatem. Quo circa, euulsam illā
omni ex parte cupiens, & omnibus fibris, ac radicibus præci-
sam, iam tertium dicit. Nolite ergo soliciti esse in crastinum:
Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei mali/
tia sua.

NON EGERE COMMENTARIIS PRAEFATAM
Domini Doctrinam, nostram cæcitatem culpandam esse,
quæ ad omnes eam pertinere non intelligit.
Cap. VIII.

SCILICET hæc inuoluta sunt, & tanq̄ Sphin
ges, vel ex tripode Delphica respōsa ambigua
illa, & confusa sensu, quæ in aduersas partes
trahantur pro interpretum voluntate. Proli/
xis videlicet commentariis egent, & vt eorum
sententia vix percipiatur sudandum est maxi
mè. Nimirum hæc (vt secundum eos, qui modestiores habe
ri volunt, dicamus) non in præceptorum, sed consiliorum al/
bum referri oportet: quod in primo libro redarguimus. Sed
hæc luce clariora sunt, neq; intentissimis discussionibus egēt.
Nostra est cœcitas, si in meridiana luce patimur tenebras, neq;
omnibus ea interesse affirmamus. Cedò, quibus illa Seruator
effatus est? His nempe, qui se sequebantur, nō apostolis solis,
quod forte ex Matthæi euangelio suspicari posses; sed frequē
tissimæ multitudini, vt prudens lector ex Diuo Luca aduer/ *Luc.* 6
tit: & nobis præterea vniuersis, qui in ipsum credimus, & e/
ius euangelica amplexi sumus. Nam quod vobis dico (in/ *Marci.* 13
quit) apostolis nimirum; omnibus dico. Et alibi: Quod di *Matth.* 10
co vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aurem au/
ditis, prædicate super tecta. Denique conscensurus in cœlum
electis illis, quibus cum mortalis familiarissimè vixerat, Eun
tes (ait) in mundum vniuersum, prædicate euangelium o- *Marci.* 16
mni creaturæ. Et; Euntes ergo docete omnes gentes: bap/ *Matth.* 28

tizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Itaque ad vniuersos qui in ipsum Dominum IESVM cre didimus per apostolicum sermonem, hæc diuinissima prolo quia pertinent, non ad solos Apostolos, vel qui apostolicũ sta tum ac professionem profitentur, monachos videlicet, vt nũ nulli falso putant. Et quidem falluntur indubie, qui ad le gem ac doctrinam euangelii seruandam, plus teneri existi mant, qui monasticen profiteantur, quàm Christianos alios, maxime nullos ordine in ecclesia sacris initiatos. Etenim di stincti hi uiuendi modi atque ordines in christiana nostra re ligione, excogitati atque instituti fuere multo post CHRI STVM a spiritualibus ac diuinis viris, in hoc vt in eis ho mines, qui multò facilime à germano christianismo deflecte bant ob carnis fragilitatem, & infestas aduersariorum inui sibilium contra nos astutias, ad ipsam integritatem christia næ vitę, faciliore aditu peruenirent. Abrenunciamus enim cuncti dum baptizamur, satanæ, mundo, ac omnibus pom pis eius; credereque in CHRISTVM inconcusse profite mur. qua re, quid est, quod desiderari possit ad iustam per fectionem? Sed quia ferè infantuli omnes cum sumus, eo di uinissimo sacramento initiamur; idcirco quid eo per nos, aut nostros susceptores nostro nomine factum sit, non recordan tes, simul ac ad rationis vsum venimus; nostro vitio, ac praua voluntate ad ea rursum, vnde per baptisma defeceramus, trã sfugientes, contra quæ sacrosanctè seruare nos obstinximus agimus, facimus. Quem quidem errorem quis non omni no extra sensum christianarum rerum, sine mœrore, ac luctu considerare iam possit? Sed nolim in presentia in hanc dolo ris plenissimam tractationem deflectere. ad propositum refe ramus nos. Sic igitur cum omnes, qui CHRISTI fidem profitentur, obstricti sint; quicunque per Dei gratiam rem ita se habere animaduertunt, eadem opitulante ad eum vitę modum conferunt sese, quo pericula violandi sanctissimã promissa maximè declinantur. Eę enim sunt monasticæ vi tę rationes, vt optimè euangelio consentiant, & baptismatis sacramento; eo quod infinita instrumenta præcidant; qui bus cæteri, nisi prudentissimè aduigilent, ad prevaricandum quod per sanctè Deo promisere; feruntur. In summa non est cur alium esse monachum arbitremur, quàm qui summa vi, & quan

& quanto maximo studio ad obseruandum, quæ in baptis-
mate professi sumus, totus incumbit. Quod cum alibi co-
piose satis demonstrauerimus, hic plura dicendi non est ani-
mus. Ad cunctos igitur cum pertineant quæ docuit & præ-
dicauit dominus IESVS, quicquid profiteare, quacunque
conditione, ordine, dignitate; modo sacrata baptismi aqua
sis tinctus; si ad regnum Dei pertingere speras, obseruare, il-
la necessum est: pręterire autem, negligere, ac præuaricari
tibi est nefas omnino.

RVRSVM ADVERSVM DIVITIAS AC DI-
uites. Cap. IX.

CVR verò est (vt ad opes redeamus) quòd non
hasce ob humanum vitium, perniciosissimas
esse ducis? cum præter quæ dicta sunt, non
raro audita fuerit à nobis parabola seminis
quod decidit inter spinas? interpretatur ipse *Matth.* 13
idem doctor omnium optimus spinas esse di-
uitias atque solicitudines, quę multæ valde & molestæ illis
nunquam non inhęrent. Quem ad modum enim spinæ sa-
ta etiam fælicia strangulant, & perimunt; ita verbum Dei,
fides illa viuax, & optimarum quarumcunque actionum fe-
racissima: agnitioque & diuinarum rerum clara intelligẽtia
ab hac opum solicitudine obscurantur, & suffocantur. Hisce
molestiis (inquiunt) curis, ac solicitudinibus caremus. Au-
dent adhuc (si Deo placet) mittere has voces, quasi vero nul-
la fuerint quæ tam multa in pręcedentibus apertissimè osten-
sa sunt indicia auaritiæ, quã vt in luce nunquam sine vmbra
corpus, ita certe sine irrequietis curarum procellis extare neu-
tiquam fuerit inuenire. Hoc planè est in aqua siccum persiste-
re, & camino intenso proximum, algere. Facilius à cute co-
lorem detraxeris, quã vt hoc deplorato sæculo diues, ob diui-
tias, sexcentis flagitiis nõ irretiatur. Et verè deplorata atque
infelicia tempora nostra, & ô potius nos miseros atque lu-
gendos, inter quos hæc anxiè disserere conuenit. Sed addu-
catur vehemens illud atque terrificum perquam, nec minus
verum, in nostram peruicaciam eiaculatum. Quam diffici-
le (inquit Dominus) qui pecunias habent, in regnum Dei *Marci.* 10
intrabunt. Demirantibus autem, ac stupidis factis horum
gratia

gratia discipulis: Filioli (addit) quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire? Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Obmurmuret, torqueatque se quantum volet opulentus: cœlum, & terra transibunt, CHRISTI autem Domini verba non transibunt. Obsecro te lector à capite ad calcem vsque, tota mihi euangelia, & reliquam Apostolorum scripturam perlege. quid inuenias, quod diuitibus suffragetur? immo vero præter vnum Iosephum ac Nicodemum, le-
Lucę. 12 gis culpatos illos ac condemnatos vehementer. Dispice in Luca quid de nescio quo diuite referatur, qui cum exuberantissimos ex agris fructus recepisset, vsque adeò, vt ignoraret quo pacto præ copia reconderet; excogitauisset autem capaciora horrea, atque penuaria constituere, sibi interim hisce verbis ablandiens: Anima habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte repetunt animam tuã à te, quæ autẽ parasti cuius erunt? Quibus dictis colligit Saluator dicens: Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues. Singula verba commentatione multa essent dignissima, non quòd luce illa egeant, aut non maximè quod volumus confirment sed vt caliginem tam altè obductam mentibus christianorũ efficacius abstergerent. Interim nos, vt intente considerentur quæ intacta præterimus, admonentes, ad alterum illum diuitem commemorandum pergimus: illum inquam, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Quem finem quæso est consequutus? Periit ipse, & in tartara præcipitatus, perpetuò excarnificandus, dum pompa ingenti ad sepulchrum deferretur cadauer, inter tormenta immania cruciatusque flammarum inauditos, ne stillam quidẽ aquæ, qui cum incendium linguæ intolerabile, vel pauxillò mitigaret, impetrare omnino non potuit. Audiuit de Patri-
Lucę. 16 archa quem interpellarat: Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus (quem sibi ad refrigerium mitti efflagitabat) similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque isthinc huc transmeare.

NON

NON FALSO, AVT IOCO; SED SVMMO SERIO *loquutus est Dominus contra diuites, etiam testimonio vitæ suæ.* Cap. X

HAECCINE putas Dominus IESVS ioco adducebat? vel vt facetus haberetur? siue vt sophista quispiam fabulabatur ad hunc modum? Apage tantam absurditatem. Non ludebat summa sapientia, sed grauissimé, & maximo serio, in nostram salutem huiuscemodi disserebat. Næ imperitus ille ignorabat rationes, quibus. & nos, & adamatas diuitias defendere nitimur. Sed minimé isthuc quidem. Quin exactissimé, & plus quám omnes mortales citra collationem, compertissima habet omnium auarorum commenta, & propugnacula; sed perdit ille astutias, callidates eorum. Nouit perniciem hinc incredibilem, nouit hunc appetitum innummeris modis iugulare animam, & á Deo auctore abalienatam, incredibiliter reddere insanam. Quare nostræ salutis amantissimus, omni via ab ea malorum lerna reuocare nos contendebat, atque inter cętera omnia efficacissimum illud nobis dereliquit, exemplum videlicet totius vitæ suæ. Namque ab ipsis cunabulis, quid rogo, illo pauperius? Totam mihi eius vitam expende: qui fabri filius esse (vt putabatur) voluit: qui cum humilibus extremæque conditionis viris, continuam duxit consuetudinē qui fieri rex fugit: qui de se vere pronunciauit, non habere vbi caput reclinaret: quamquam id dictum etiam contineat sacramentum: Denique in cruce nudus ludibrio omnium expositus, spiritum illum omnium beatissimum inter manus Patris commendans, obiuit pauperrimus. Aut ille igitur stultus, aut nos prorsum insignitur desipimus. At palā est, á qua parte veritas extat. Nos (inquit Paulus) predicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidem scādalum gentibus aūt stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis CHRISTVM Dei virtutem, & Dei sapientiā. Si itaque ex vocatis nos esse volumus, ac sumus; sapientissimé dicta esse, quæ CHRITVS Dei sapientia pronunciauit, certa persuasione retinemus. Sin eius dictis offendimur, in Iudęorum: sin vero insulsa, ac stulta ea dicimus, in Gentilium impiam, & falsam fidem referri conuincimur.

Lucę.2. *Matth.13* *Marci.6.* *Ioann.6* *Luca.22.* *1. Corint.1*

DILVITVR OBIECTIO, QVOD NON IN OMNIbus imitandus sit seruator. Imitandum eum maxime in contemptu mundi cuius voces utinam omnes exaudiant. Cap. XI.

AT audio respondentem, complura esse, quę Sal
uator noster, & si nostri gratia præstitit, mi-
nus tamen ea factis nos sequi oportere. Assen
tior perquam libenter: neque adeò stupidus,
& amēs quis fuerit, vt imitari omnia CHRI-
STI acta christianos, opus esse affirmet. Ne-
mo enim (vt ille) pro nostro genere instaurando, in crucem
agi procurare debet, neque attentandum fuerit, vt tabo fati-
scientia iam cadauera, reuocata anima ad vitam restituantur.
Mitto cętera multa, quæ propria assertoris nostri vt imitetur
christianus vllus, in cupiditatem venire non debet. Sed in
moribus, & sanctissimarum virtutum actibus, inter quos insi-
gnis est diuitiarum contemptus, christianis nobis omnino est
1. Ioan. 2 insequendus. Qui dicit se in CHRISTO manere, debet
sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Sed adhuc illam sen-
Luca. 14 tentiam referre non prætermittam, quæ os omne obstruere,
concludereque tandem possit. Nisi quis renunciauerit omni
bus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ad ani-
mum pertinere hoc dices, sat scio. Et hoc neq; nos in primis
inficiamur. Sed indicia euidentissima, quæ multa in præce-
dentibus commemorata fuere; cum ex diametro contra hāc
mentis renunciationem argumenta inducant: cur est quòd
nos tantum in diuitias inhiantes & incubantes reos non vn-
decunque agnoscimus? sed mihi vox esset resonantissimæ
tubæ instar, adeòque fulminis atque tonitrui; quam non
modo ciues mei omnes, cunctique regionum nostrarum ho-
mines, sed etiam longe lateque vniuersi, qui fidem CHRI-
STI profitetur, exaudirent. Imo uerò ad verba Domini
seriò penitusque intelligenda, & agnoscenda aures audiendi,
quas non raro idem requirebat, afferrēt præter cæteros, quot
quot aurum, ac lucra sequuntur; qui rem rei addere incessa
biliter pergunt: qui ne hinc prohibeantur, tam multa præte
xunt: qui fortiter aiunt gradum suum retinere, conseruare,
& augere etiam honestum esse, familias pro dignitate paran
das esse; prospiciendum liberis; bonas dotes filiabus instituē
das

das; non ad vnam formam omnes redigendos: egregium eſſe ſplendidas menſas inſtruere: induere ſumptuoſis veſtimẽtis, magnifica palacia erigere. huiuſmodi infinitas alias vanitates prætermitto, quas iſti adducunt. Audirent ergo hi, & aures haberent audiendi euangelicam Domini noſtri *IESV CHRISTI* doctrinam, quæ certe aliam longè valde politiā docet, quàm quæ noſtro tempore in vſu eſſe perſpicitur. In hac enim tāta abuſione, ac perturbatione honeſtę atque Chriſtianæ vitę, neſcio equidem qua ratione alia, aut magiſterio, ſique diſciplina vlla præterea, in rectam redire iam poſsit, prę ter quàm ſi ſumma intentione, ac ſtudio ipſi doctrinæ Seruatoris ex toto animo combibendæ dederimus nos; ſtatuerimusque ſecundum eam, tanquam ab integro, vitam noſtrā informare. Licet enim prudentiſsimus quis exiſtat, licet rerū omnium peritiſsimus, ſummo ſtudio, cura atque ſolertia contenderet, nunquam (mea quidem ſententia,) auarum hominem, vt appetitum illum deponat, plenè perſuaſerit. Nunquam inquam cuiuſque tanta auctoritas, eruditio, ſanctitas imaginari poſsit, quæ cupiditati nocentiſsimæ, vt in ipſius ſententia conquieſcat, legem præſcribat. Cauillabitur etenim ſemper, excuſationes contra afferet pecunioſus, vt caſſus abeat labor ſudorque moderatoris. A B Euangelio igitur, vt omnium maximè deploratiſsimæ ægritudini iſti medicinam petendam eſſe: vt vt alii aliter ſentiant ego quidem ſentio. & quo pacto id fieri poſsit, candidè & quanta maxima breuitate exponam. Conquieſcendum enim mihi eſſe iam video, & finem huic tractationi imponendum.

ALIQVOT SVCCINCTAE PRAECEPTIONES AD *profligandum efficaciter auaritiæ morbum.* Cap. XII.

PRINCIPIO conſulerim ego quidem, vt qua pietate homo poteſt, ac modeſtia, implorata Dei ope, reputet ſeriò religionem, ac fidem, quam ipſius Dei munere conſequutus eſt, non in vitam præſentem dirigi, ſed in futuram: non eius eſſe in ſenſibilibus bonis inhæreſcere, ſed ad inuiſibilia illa, quæ nos diuinæ, literæ atque orthodoxæ eccleſiæ doctrina abun-

de doceant toto animi studio, & honestis actionibus extrinsecus pro sua facultate contendere: obliteratam autem quam intelligit legis nostræ non modo obseruationem, sed etiam notitiam veram certamque capescere decernat, ac renouare in se constituat. Quia verò hoc in euangeliis, & apostolorum aliis literis præsertim, luculentissimè continetur: si literatus sit, pietate qua diximus, & modestia, nec non animo certo componendi se secundum illam; ad earum literarum studiũ se conferat: & cum omnia, tum ea quæ pręsenti rei conueniant, perlegat non oscitanter: scrutetur, ruminet, digerat, expendat. atque dum hoc facit, subinde votis efflagitet Deum, vt huiusce rei speciatim gratia, lucem veritatis percipiat, dispulsa omnium affectionum mundanarum caligine. Sin vero fuerit illiteratus, non quos vis magistros adire, tutum sciat; sed in catholica Ecclesia eos, quorum vita probitate, eruditio autem non secundum mundanam nostri temporis consuetudinem, sed ad formam pręsertim antiquorũ, testata esse intelligitur. Quoniam verò inter huiusmodi distinguere arduum nimis, maioremque in modum nullis literis excultis, Deum (quod semper, & omni in re commodissimum est atque honestissimum) hic semper ex animo ambire opus erit, precarique ab eo se dirigi, & effici, vt in verum ecclesię incidat doctorem, in cuius disciplina ac magisterio acquiescat, Qua quidem pietate, atque animi constitutione, quisquis instructus fuerit, quantum sanè iudicare possum, haud fiet vnquam, vt non ei manum præbeat Deus, & incredibili munere suo, certam indubitatamque cognitionem largiatur, vt quem ad modum inter diuitias se habere secundũ christianismum oporteat, definitè, atque oportunè intelligat.

Optimum verò cum his remedium etiam illud erit, exempla optimorum christianorum mentis oculis intueri, qui omnes copias, atque diuitiarum omnis generis amplitudinem contempsere, & vt quisquilias ac stercora habuere: contra verò à vulgi opinione ac persuasione, abducere se quam longissimè: Denique vtilissimum fuerit reputare, mortem nunquam non impendere nobis: qua ex cogitatione, dum intẽta fuerit, ac seria, neque infidelium instar, sed secundum christianam fidem; cum cæteri affectus noxii, tum hic habendi nocentissimus atque potentissimus, restingui perfacilè poterit: opem ferente, adlaborantibus nobis continenter, eo: qui

qui auctore Diuo Paulo, cum diues esse, pro nobis pauper 2. Corint. 8
factus est, vt eius exemplum dum hic sumus, tum animo,
tum re qua possumus imitantes, diuitias illas præstãtissimas
iucundissimas, atque perpetuas in futuram consequeremur.
Qui cum patre, & Spiritu sancto, viuit, & regnat super omnia Deus benedictus in secula. AMEN.

AD PIVM LECTOREM.

CVM de hac nostra de dominatu AVARITIAE commentatione (in qua etiam de cambiorum, quæ vocant, negocio, patrocinium haud mediocre ei morbo præstantium, bona fide pro nostra virili disquirimus) typis excudenda meditaremur; commodũ in manus nostras peruenit de iis cambiis sententia gentilis nostri Nicolai Cenaregæ. V. I. peritissimi, & in studio sanctarum scripturarum diligenter versati: quam aliquot ab hinc annis dum in viuis ageret, inter complures alios iuris doctores, ac theologos rogatus ab Reuerẽdissimo Egidio Falceta Episcopo Caprulense; qui tum pro Reuerendissimo Archiepiscopo Genuensi. Hieronymo Saulio in metropolitana ecclesia Genuæ Cathedram tenebat; cum retulisset; eidem Præsuli (vt in ipsius fronte cernere est) scripto destinauit. Hanc ergo cum legissem, & nostræ de eadem re probè consentientem vidissem, operæprecium duxi hic eam coniungere: vt si quis nõ ita nostris rationibus fortasse, veluti leuioris auctoris moueri, ac persuaderi acquiesceret; vel huiusce viri doctissimi auctoritate, atque pondere moueatur: persuadeaturque cũ cæteris auaritiæ instrumentis, tum cambiis istis longe nuncium remittere. Caue sis lector, vt ita cupiditate rei, & diuitiarum amore distineare, quo cælestibus bonis, atque amore *CHRISTI*, & Dei extorris fias. Fieri enim haud posse certum pronunciauit ipse Dominus, vt quis Deo seruiat, & mãmonæ; & facilius esse camelum ingredi per foramen acus; Matth. 6.
quàm vt diues ingrediatur regnum Cælorum. Lucæ. 18.

REVERENDISSIME PRAESVL.

DIV anceps fui, an in medium proferrem, nec ne: quid circa propositam tanti ponderis quæstionem sentiam; in qua tot summorum virorum opiniones variæ, & contrariæ validissimis hinc, inde rationibus muniuntur. Sed nũc ommissis præludiis, ac præfationibus ad tractatum cambiorum facientibus; volui temeritatis potius, & audaciæ notam subire, quàm iussis tuæ dignitatis non obtẽperare; quamuis diurnis, & maximis negociis tenear occupatus. Rem igitur propius capescens in eorum me sententiam incedere pronuncio, veluti veriorem, & tutiorem, comprobantium scilicet, cambia, quæ in nostra ciuitate fiunt, esse illicita. Si enim contractus ipsius, & veritatem, & propriam essentiam; non paliationes, quibus sibi mentitur iniquitas, inspiciamus; huiuscemodi cambia; quãuis contrahantur sub nomine emptionis soluendo solidos sexaginta tres, vel quatuor; vt Lugduni, vel Bezensoni recipiant scutum vnum marchæ, æstimationis ibidem solidorum sexaginta septem, & denariorum quatuor: tamen cum emant per anticipatam precii exbursationem, rem minori precio, alio tempore consignandam; quam verè sit valitura tempore consignationis; cadunt in contractum mutui; qui propterea illicitus cẽsetur. Sic dicit Glos. communiter approbata in. c. Nauiganti. vers. Ille quoque. in ver. dubitatur, extra De vsur. & ibi sequuntur Io. And. D. Ant. Car. Io. Calde: D. Abb. & cõmuniter Doct. Ibi pulchre dicit Henr. Boic. in sua Distinc. quã ponit super illo vers. Ille quoque; vbi allegat Asten. in Sum: de vsu. in 4. Arti: quod post Alex: de Alex. dicit; quòd emens turonẽses recipiendos in Francia in nundinis, faciat contractum illicitum: quum ille, qui dat minus, probabiliter est plus recepturus, (prout est in casu isto) & sine dubio tale lucrũ, quod quis recipit, est ob dilationem temporis quod manifestè apparet; quia maius precium datur qñ feriæ sunt breuiores, vt in feriis apparitionis: vel vbi cãbiũ fit propè tẽpus feriæ in expeditione literarũ, quia vt plurimum quanto magis sumus propinqui, tanto maiori precio fiunt cambia, & cum minori lucro. qua de re dictum lucrum ratione temporis est illicitum; & implicat in se tacitum mutuum, vel disponitur in. c. consuluit

fuluit. De vsur: cum summus Pontifex respondendo tertio quæsito sibi facto de eo, qui merces suas maiori precio distrahit ob prolixitatem temporis ad soluendum concessam. respondit talem contractum illicitum. quia cadit sub precepto euangelico: Mutuum date; nihil inde sperate: & sic innuit in illo contractu tacite incidere mutuum, prout ibi communiter concludunt Doct. Ita dicendum in casu nostro quod licet quis sub ficto nomine precii det pecunias in presenti ciuitate plus recepturus; & si veritatem velimus intueri, mercatores inuenerunt huiusmodi contractum ad euitandum nomen vsuræ, non ad euitandam vsuram. cum ad nihil aliud tendant, nisi vt ex suis pecuniis quolibet anno recipiant octo vel decem pro centenario; non habentes animum ad aliquã veram permutationem pecuniarum, vel aliquam veram emptionem scutorũ de marchis: sed vt sub ficto nomine emptionis pro qualibet feria lucrẽtur duo vel tria pro centenario ad damnum illius, cui in ciuitate dant pecunias. & in hoc casu, vt dicit Conrain tractatu contractuum, in quest.99. in c.Corol: quando campsor non habet oculum ad alietatem numismatis sibi redendi; licet alietas sit in pactum deducta pro forma, tamen est proprie mutuator: & ad nihil aliud seruit ipsi recipienti; quo casu contractus est illicitus. & hoc generaliter procedit in ciuitate nostra, quia illi, qui dant pecunias cãbio in ciuitate, nullum alium finem habent, nisi quod pro 63. vel 4. recipiant 67. solidos, & licet quandoque eueniat, ꝙ nõ plus recipiant; tamen per hoc contractus non est licitus. quia ea, quæ raro accidunt, non sunt in consideratione, vt dicunt Host. Io. Cald: & D. Abb. & communiter Doct. in. d.c. Fin. Nec obstat, quod dicitur, quod illud supra plus venit ratione loci, in quo plus valet scutus de marchis in Lugduno, quàm in ciuitate. quia reuera non reperitur scutus marchę; nec ex tali moneta in rerum natura, sed reperitur estimata in solidis quadraginta quatuor turonenses qui tam in Lugduno, quã hic ratiocinantur in solidis sexaginta septem, & denariis quatuor. Nec etiam obstat, quod dicitur, quod propter prohibitiones, quę sunt in Lugduno, extrahendi pecunias: ipsi mercatores recipiũt periculum: & sic ratione periculi possunt obligari: quia hoc est contra determinationem Ecclesiæ, de qua in. d. c. Fi. in pri. ver. festo de vsur. Et vlterius dicitur, quod in facto hoc non est verum: & sunt excusationes ad excusan-

da peccata. quia ille, qui dat pecunias, quas recipit in Lugdu nō pro precio scutorum marchæ; cum eodemmet lucro vel Genuā, vel ad alia loca sibi remittere facit absque aliqua prohibitione. Hanc eandem opinionem, quod sint illicita, tenet & sequitur Ambr: de Vign. numero 268. & numero 287. & idem Host. post Gofr. in sum. de vsur. & quam etiam sequitur Clauas. in sum. in tract. de vsu. in secunda par. primo. ubi tractat de cambiis. Item Car. Moli. sequitur in tract: de vsur. numero 504 cum sequenti. Plus etiam dico, quod etiam si attendamus opinionem illorum, qui dicunt cambia esse licita cum qualitatibus per eos adductis: cambia, quæ fiunt in hac ciuitate, non habent aliquam ex qualitatibus adductis per illos ad iustificandum cambia. sed potius peccant, & habent qualitates per quas ipsi dicunt cambia esse licita. Ex quibus omnibus ducor in illam sententiam quod cambia, quæ istis temporibus fiunt in ciuitate nostra pro Lugduno, & Bezensono, sunt illicita: salua semper determinatione orthodoxæ Ecclesiæ, & alterius cuiuslibet rectius sentiētis.

Magn. D. Nicolaus Cenarega.
D. Vtr. I.



B R I X I Æ

Ex officina Damiani Turlini, anno Domini.

M D L X V I I.

C V M L I C E N T I A